Sc. Sup. 23. Pl. 4.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
32
10 B
32

INSTITUTIONES THEOLOGICAE

AUCTORE

JOANNE BAPTISTA DALL' OCCA

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE COLLEGIATO, AC BONONIÆ IN PATRIA UNIVERSITATE PUBLICO PROFESSORE, NEC NON PERINSIGNIS COLLEGIATÆ S. PETRONII CANONICO.

EDITIO ALTERA.

TOMI III. PARS II.

Accedit Tabula cronologica rerum spectantium

AD HEBDOMADAS DANIELIS

EJUSDEM AUCTORIS.

LUCÆ MDCCLXXXXI.

Typis DOMINICI MARESCANDOLI

Cum Approbatione.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

TRACTATUS DE INCARNATIONE

TRactatum hunc in quatuor dissertationes divido. In prima notionem exhibebo incarnationis, ac de illius possibilitate agam, convenientia, necessitate, causa finali, & meritoria: in secunda illius existentiam probabo: in tertia agam de natura a Verbo assumpta, ubi etiam errores Hæreticorum refellam circa hoc mysterium: in quarta agam de dignitatibus & officiis Christo competentibus. Sit ergo

DISSERTATIO I.

Notio exhibetur incarnationis, & agitur de illius possibilitate, convenientia, necessitate causa finali & meritoria.

DIssertationem hanc in quatuor capita divido. In 1. exhibebo notionem incarnationis, atque agam de illius possibilitate, & convenientia: in 2. de illius necessitate: in 3. de illius causa finali: in 4. de illius causa meritoria.

CAPUT PRIMUM.

Notio exhibetur incarnationis, atque agitur de illius possibilitate, & convenientia.

EXplicabo hic 1. quid sit incarnatio: 2. agam de illius possibilitate: 3. de illius convenientia.

ARTICULUS PRIMUS.

Nomine *incarnationis* intelligitur assumptio naturæ humanæ facta a Verbo, ob quam verus homo factum est. Hæc assumptio aliquando a Patribus dicitur *incorporatio*, aliquando *inhumanatio*, sed frequentius dicitur incarnatio, quod etiam nomen adhibitum est a Nicæno I., ubi habet: (*a*) *Et incarnatus est de Spiritu S.* Ideo autem ad exprimendam talem assumptionem nomen hoc adhibitum est, tum quia in Scripturis nomine carnis sæpe venit totus homo juxta illud: (*b*) *Omnis caro corruperat viam suam*, tum quia nomen incarnationis peculiariter exprimit Dei dignitatem, qua semetipsum adeo exinanivit, ut etiam corpus assumeret.

Ut igitur exacta, quoad fieri potest hujus assumptionis, in qua ut dixi incarnatio consistit, efformetur idea, recolendum ex alibi dictis in Deo præter esse absolutum omnibus divinis Personis commune dari etiam tres personalitates, quarum una ab alia est realiter distincta, & ita ut quælibet ex illis modo quodam peculiari terminet & supponet divinam naturam.

Incarnatio ergo importat, quod Verbum personalitati suæ immediate, mediate autem naturæ

(a) *In Symbolo*, (b) *Genes. 6.*

ræ divinæ humanam univerit, idest ea proprie receperit in suam, quo posito cum natura quælibet intellectualis, quæ alteri digniori se incommunicata est persona, statim ac alteri communicatur dignori se, propriam personalitatem amittat, natura humana a Verbo assumpta & ipsa amisit propriam personalitatem, & illi successit divina personalitas Verbi, cui proinde omnes actiones & passiones ejusdem humanæ naturæ cœperunt tribui.

ARTICULUS SECUNDUS.

Incarnationis possibilitas licet ex infra adducendis ad probandam illius existentiam satis sit ostendenda, cum ab actu ad potentiam valeat illatio, ideo tamen hìc primo seorsim ab aliis examinatur, quia circa illam multa occurrunt dicenda & scitu dignissima, & ad intelligenda quæ sequuntur summopere necessaria.

Circa illam ergo inquiri potest, an & quomodo demonstrari possit: & quoniam demonstratio alicujus veritatis potest esse & positiva, qua afferantur rationes directe illam probantes, & negativa (si tamen hæc demonstratio dici potest) qua scilicet sufficienter solvantur rationes contra illam objectæ, de utraque quæri potest an valeat ad evincendam incarnationis possibilitatem. Ubi noto nullam hìc moveri quæstionem circa demonstrationem possibilitatis incarnationis deductam ex principiis fidei; cum enim, ut infra ostendam, ex Scripturis probetur illius existentia, multo magis probabitur illius possibilitas. Quæstio ergo reducitur ad demonstrationem ex lumine naturali, circa quam sit

Assertio prima. *Nullum nobis suppetit naturale argumentum, quo positive demonstremus possibilitatem incarnationis*. Est communis.

Prob. ex Scripturis appellantibus incarnationem (a) *mysterium absconditum a seculis & generationibus*. Prob.

(a) *Coloss.* 1.

Prob. ex Patribus. S. Augustinus ait: (*a*) *Si ratio hic quaeritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis*. Ergo &c.

Prob. ratione. I. Nimis excedit captum nostrum unio & modus unionis estremorum, quæ in incarnatione unita sunt. Deus scilicet factus homo, creator factus creatura, impassibilis & immortalis factus passibilis & mortalis, hæc profecto talia sunt, in quibus mens nostra sibi relicta caligat, nec quid affirmet aut neget cognoscit. II. Si consulamus lumen naturale, potius primo aspectu videtur hoc mysterium illi opponi, quam congruere. Sane nullus ex Philosophis Gentilibus distinxit subsistentiam a natura, imo omnes docuerunt tam esse impossibile subsistentiam a substantia separare, quam illam separare a semetipsa; indicio ipsis nunquam in mentem venisse naturam posse propria subsistentia spoliari, & tamen hoc importatur ab incarnatione. Ergo &c.

Obj. momento deducto ex Scripturis, historiis, & ratione. I. Dæmones cognoverunt nedum possibilitatem, sed etiam existentiam incarnationis, ut constat ex illorum verbis ad Christum: (*b*) *Quid nobis & tibi Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos*, & ex illo: (*c*) *Exibant autem dæmonia a multis clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum*. Huc referatur factum narratum a Nicephoro (*d*) de Augusto, qui consulens oraculum Del-

(a) *Epist.* 137. *ol.* 3. *cap.* 2.
(b) *Matt.* 8. (c) *Luc.* 4.
(d) *Lib.* 1. *cap.* 17.

Delphicum ab illo, idest a Diabolo hoc retulit responsum:

Me Puer hebræus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum,
Aris ergo dehinc tacitus abscedito nostris.

quo audito refertur Augustum Romam reversum aram in Capitolio erexisse cum hac inscriptione *Ara primogeniti Dei*. Cognitio autem, quam Dæmones habuerunt de incarnatione, fuit naturalis, cum omnia supernaturalia ab illis fuerint ablata. Quod porro conceditur Dæmonibus, debet profecto & Angelis bonis concedi, adeoque concludendum Angelos omnes posse per naturale lumen incarnationis possibilitatem agnoscere: præcipue cum omnes naturaliter cognoscant, imo comprehendant naturam creatam, adeoque cognoscant hanc illius proprietatem, ut possit amittere propriam subsistentiam, adeoque illi subrogari subsistentia divina. Fac ergo, ut Angelus manifestet homini incarnationis possibilitatem, hujusque possibilitatis argumenta, cognitio, quam tunc homo habebit, erit naturalis. Ergo &c.

II. posse incarnationis possibilitatem, imo existentiam naturaliter ab homine cognosci colligitur a posteriori ex quo aliqui illam futuram ita cognoverunt. Inter hos fuit Confucius magnus Sinensium Philosophus, qui floruit 550. annis ante Christum. Hic (ut constat ex ejus libro latine reddito a P. Intorcetta Societatis Jesu) adhortans Principem ad virtutem inquit: *Legibus cæli & terræ facta ejus consentiant, neque vereri debet, ut cum Sanctus ille expectatus advenerit, idem tunc virtuti ejus, ac dum regnaret, honor habeatur*. Cum autem nomine Sancti expectati nullus alius possit venire nisi Christus, patet a Confucio cognitum fuisse futurum incarnationis mysterium, & quidem absque revelatione, adeoque per solum lumen naturale; illi enim utpote Gentili de revelatione non constabat. Hoc idem dicendum de aliis Gen-

Gentilibus, ut de Sybillis, quæ diu ante Christi adventum prophetaverunt, & plerasque circumstantias vitæ ipsius prædixerunt, & ex iis aliquæ ita expresse de Christo locutæ sunt, ut teste S. Justino, (*a*) prohibita fuerit a Gentilibus lectio librorum Sybillæ dictæ Hidaspis, in quibus multa erant testimonia Christo & Christianis faventia. Ergo &c.

Ad I. ℟. quod, si Angeli cognoverunt possibilitatem & existentiam incarnationis, illam non lumine naturali, sed per revelationem cognoverunt; nam præterquamquod est probabile, ut alibi dixi, ipsis manifestatam fuisse ante Dæmonum peccatum futuram incarnationem, eandem etiam poterant cognoscere ex Scripturis, in quibus illius revelatio continetur, nec non ex Sacramentis veteris legis, quæ adhibebantur ut signa protestativa fidei in mediatorem venturum, unde incarnationem cognoscendo dependenter a revelatione cognoscebant.

Quo tamen non obstante est communis Patrum sententia Dæmones nunquam, dum in terris viveret Christus, certo agnovisse ipsum esse Verbum incarnatum; nesciebant enim, utrum in illo omnia verificarentur, quæ de venturo Messia prædicta erant, ut E G. utrum esset natus de Virgine, ut erat prædictum (ad quem finem docet S. Ignatius Martyr (*b*) voluisse Deum, ut Christus ex desponsata oriretur, *ut* scilicet *partus ejus celaretur Diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum*) Præterea si Diabolus certo cognovisset Christum esse Deum, quomodo ipsum tentando dixisset: (*c*) *Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*, & quomodo ab ipso petiisset adorationem? Rursus ut inquit S. Leo: (*d*) *Si crudelis & superbus ini-*

(a) *Orat. ad Antonin.*
(b) *Epist. ad Ephes. n.* 19.
(c) *Matt.* 4. (d) *Serm.* 11. *de pass.*

inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Judæorum animos mansuetudine potius temperare, quam injustis odiis studuisset accendere, nè omnium captivorum amitteret servitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Quæ vero loca Scripturæ adducuntur ad probandam incarnationem cognitam fuisse a diabolo, facile explicantur de cognitione conjecturali, aut de suspicione in ipso orta, ne Christus esset verus Deus, ad quod cognoscendum nihil intentatum reliquit, sed frustra; Deus enim impediebat illum, ne in certam incarnationis cognitionem deveniret.

Juxta hoc explicari posset responsum oraculi Delphici, si hoc responsum esset genuinum, sed illud ut supposititium arguunt peritissimi Critici tum ex quo etiam post tempora Augusti reddita sint responsa a tali oraculo, ut tempore Neronis, Domitiani, Adriani, Septimii Severi, & Constantini Magni, testibus Svetonio, Philostrato, Dione, & ipsis Patribus ut Chrysostomo & Eusebio; tum ex quo, si hoc responsum esset genuinum, illud certe non prætermisissent antiquissimi Patres, qui pro Christiana religione apologias scripserunt contra Gentiles, cum maxime fuisset opportunum ad ipsos convincendos ex confessione illorum, quæ ut numina venerabantur, & tamen nullus ex iis illius meminit.

Peracta autem hominum redemptione cum non esset amplius, cur mysterium hoc Diabolo absconderetur, imo esset valida ratio, cur ipsi manifestaretur, ut scilicet tandem agnosceret de se fuisse per mortem Filii Dei triumphatum clare illud cognovit, sed semper dependenter a revelatione juxta superius dicta.

Porro Angelos bonos post illorum confirmationem in gratia incarnationis possibilitatem & futuram existentiam cognovisse per immediatam divinam revelationem non est dubium: quam tamen nec ipsi per lumen præcise naturale attingere potuerunt; omisso enim, quod aliqui dicunt,

non cognosci naturaliter positive ab Angelo naturam creatam posse amittere propriam subsistentiam, quia licet Angelus hanc naturam comprehendat, per hoc tamen solum cognoscit omnem illius capacitatem naturalem, non autem obedientialem, seu quidquid in illa & per illam possit facere Deus, hoc inquam omisso non idcirco Angelus naturaliter cognoscit naturam creatam esse assumibilem vel a Persona divina, vel ab aliqua creatura nobiliore se, cujus non comprehendat, imo nec cognoscat naturam. Licet autem Angelus perscrutando rationem Personæ divinæ in ea non cognoscat repugnantiam, ut assumat naturam creatam, cum tamen ipse Personam divinam non comprehendat, non poterit affirmare revera ipsi non repugnare talem assumptionem, sed solum sibi non constare de tali repugnantia. Ergo &c.

Ad II. ℟. Adductos Gentiles non cognovisse incarnationem per solum lumen naturale, sed per divinam revelationem derivatam vel ex sacris Judæorum libris, vel etiam ex divina immediata inspiratione; voluit enim Deus, ut etiam inter Gentiles antiquitus essent qui de futura hominum per Christum reparatione notitiam haberent, ut iidem Gentiles essent inexcusabiles, si Christum ut Deum agnoscere detrectarent.

Obj. peculiariter ex ratione. Potest lumine naturali cognosci Deum omnia præstare posse, quæ non implicant. Incarnatio non implicat. Ergo &c.

℟. Quod licet possit per lumen naturale cognosci a Deo generaliter posse fieri omnia, quæ non implicant, non potest tamen naturaliter certo cognosci omnia, quæ de facto non implicant, ita non implicare. Cognitio ergo illa generalis potentiæ Dei nunquam poterit nos ducere ad certo affirmandum, quod possit incarnari, nisi aliunde constet incarnationem non repugnare. Hoc ex dictis non constat positive per lumen naturale. Ergo &c.

As-

Assertio secunda. *Lumine naturali possumus sufficienter negative demonstrare possibilitatem incarnationis.*

Cum assertionis probatio dependeat ex solutione objectionum, quæ fiunt contra possibilitatem incarnationis, ideo ad has statim devenio.

Obj. igitur I. Si Persona divina incarnaretur, in illa tunc ob acquisitionem novæ formæ, quæ illi intrinsece uniretur ad constituendum unum per se, admitteretur intrinseca mutatio; nam sicuti Deus mutaretur, si de novo inciperet intelligere aliquid, ita si de novo inciperet habere unitam naturam, quam antea non habebat. Mutatio autem Deo repugnat. Ergo &c.

II. Non possunt duo uniri, si inter illa non sit proportio: hæc non est inter Personam divinam, & naturam quamlibet creatam. Ergo &c.

III. Ex duobus entibus completis non potest fieri unum per se. Ergo nec ex Persona divina, & natura creata, quæ sunt duo entia completa: præcipue cum Persona divina sit actus purus, qui excludit omnem potentialitatem, adeoque etiam potentiam, ut uniatur alteri.

IV. Data supradicta unione de Persona divina verificarentur prædicata naturæ creatæ, ut quod E. G. esset dependens, defectibilis &c. quæ omnia dedecent Deum.

V. Data supradicta unione jam natura creata non amplius propria subsistentia subsisteret, sed aliena, quod repugnat, ut repugnat ipsam existere aliena existentia.

VI. Cum operationes Trinitatis ad extra sint communes toti Trinitati, incarnatio, quæ est opus ad extra, & ipsa debet esse communis totii Trinitati. Implicat ergo quod sola persona Fili incarnetur. Ergo &c.

Ad I. (omissa responsione illorum, qui ad vitandam difficultatem asserunt unionem futuram in hypothesi Personæ divinæ omninò extrinsecam, ut uni albo est extrinseca denominatio *similis* resultans ex positione alterius albi) ℞. Personam di-

vinam in hypothesi non mutandam, quia licet acquirat novam formam, quæ illi intrinsece unitur ad constituendum unum per se, hæc tamen unio ipsam Personam non reddit subjectum sustentans formam (eo proportionaliter modo, quo unio animæ cum corpore non reddit animam subjectum corpus sustentans), sed tantum purum illius terminum, & quidem non perfectibilem, sed unice perficientem; nam ex illa unione non oritur, ut sit, aut possit aliquid quod non esset aut non posset antea, sed solum ut diverso modo sit aut possit, ac antea esset aut posset; post unionem enim aliquid est aut potest formaliter, quod antea erat, vel poterat solum eminenter. Quod si dicas hoc ipsum esse modo formaliter, quod antea erat solum eminenter, importare mutationem in Persona divina, ℟. quod si hoc subsisteret, etiam Deus creando mundum mutatus esset, cum, antequam crearet, non esset formaliter creator, qualis postea evasit, cum revera mundum hunc condidit. Non ergo mutatur per unionem cum aliena natura Persona divina, sed solum mutatur natura assumpta, quæ perfectionem aliquam in se incipit habere, quam antea nullatenus habebat. *Ita* inquit S. Augustinus (*a*), *cum sapientia homini accedit, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit.*

Ad id, quod additur, ℟ Deum utique mutandum, si de novo inciperet aliquid intelligere; in intellectu enim divino, qui ex se necessario determinatissimus est ad intelligendum omne intelligibile, debet admitti intellectio de omnibus non qualiscumque, sed formalis, unde si per impossibile Deus inciperet aliquid intelligere, in ipso inciperet esse aliqua perfectio, quæ antea nullo modo habita fuisset (cum intellectio, quæ non

---

(a) *Lib.* 83. *quæst. quæst.* 73.

non sit formalis, in Deo nulla sit), quod sane mutationem importat. At Deus non est ex se necessario determinatus ad terminandam naturam creatam, unde perfectio ista terminativa potest esse in Deo vel solum eminenter, vel etiam formaliter pro ipsius libito. Cum ergo Deus incipit terminare hanc naturam, non acquirit perfectionem, quam antea non haberet, sed solum hanc perfectionem diverso modo incipit habere, ac antea habebat, quod ex dictis mutationem non importat.

Ad II. ℟. Inter Personam divinam & naturam creatam non esse quidem proportionem entitatis, & dignitatis, cum illa ab hac entitate & dignitate semper futura sit infinite distans, sed esse proportionem, quæ dicitur habitudinis, qua posita poterunt inter se uniri, ut licet intellectum creatum inter & Deum nulla detur proportio entitatis & dignitatis, quia tamen datur proportio habitudinis, potest hic cognosci ab illo.

Ad III. ℟. Esse utique completam tam Personam divinam in esse personæ, tam naturam creatam in esse naturæ, quia nihil illis deest ad rationem personæ & respective naturæ; at neutra est completa in ratione habentis & habiti, terminantis & terminati, sustentantis & sustentati, quia Persona divina nec habet, nec terminat, nec sustentat quidquid habere, terminare, ac sustentare posset, nec natura creata habetur, terminatur, & sustentatur a quocumque haberi, terminari, ac sustentari potest. Sub hoc igitur respectu possunt hæc inter se uniri ad constituendum unum per se. Ubi, ut patet, cum dico Personam divinam esse incompletam in ratione habentis, terminantis, & sustentantis, non id dico, quasi possit recipere ulteriorem perfectionem intrinsecam, sed solum quatenus potest dare ulteriorem perfectionem rei a se distinctæ: unde Persona divina & natura creata per hoc, quod inter se uniantur, non se invicem complent, ut se complent in homine corpus & anima, quorum unum ab

ab altero recipit auxilium ad operandum, adeoque unum alterum perficit, & vicissim ab altero perficitur, sed Persona divina tantum complet, natura creata tantum completur. Ad id, quod additur, ℟. actum purum excludere quidem omnem potentialitatem per modum partis componentis rigorose talis, non vero per modum terminantis & perficientis.

Ad IV. ℟. Dedecere quidem Deum, ut prædicta verificentur de illo considerato secundum naturam divinam; at non dedecet, quod de illo hæc verificentur considerato secundum naturam extraneam.

Ad V. ℟. Repugnare, ut res existat existentia aliena, non ut subsistat subsistentia aliena. Disparitas est, quod, cum dicitur rem existere existentia aliena, sensus est rem vere existere. Implicat autem, quod res vere existens non existat propria existentia, cum existentia importet positionem entitatis rei existentis, quæ positio nequit haberi nisi per illam entitatem, cujus est positio, adeoque non possit res existere nisi propria existentia. Cum autem dicitur rem subsistere subsistentia aliena, sensus est revera rem non subsistere, sed subsistentiæ illius aliam subrogari subsistentiam, quod, ut patet, optime salvat rem subsistere per subsistentiam alienam.

Ad VI. ℟. Opera ad extra, quæ fiunt a Deo ut efficiente, esse quidem communia toti Trinitati, non sic vero quæ fiunt a Deo ut personante; ideo enim priora sunt communia toti Trinitati, quia virtus efficiens illorum, idest omnipotentia est toti Trinitati communis. At posteriora non fundantur in virtute communi omnibus divinis Personis sed in proprietatibus singularum Personarum. Ergo &c. Ex quo sequitur incarnationem, ut est actio unitiva humanitatis cum Verbo, seu productio unionis hypostaticæ, utpote procedentem a Deo tanquam causa efficiente toti Trinitati esse tribuendam, ut autem est unionis terminatio ac sustentatio & ultimum complemen-

mentum humanitatis, esse tribuendam soli Verbo, unde hoc solum est incarnatum, licet & Pater & Spiritus S. incarnaverint, seu produxerint unionem Verbi incarnativam.

ARTICULUS TERTIUS.

Utrum incarnatio fuerit conveniens quæri potest tum respectu Dei, tum respectu hominis. Deo fuit conveniens incarnatio tum negative, quia ex visis nullam Deo attulit inconvenientiam, tum positive quia in incarnatione maxime elucet Dei misericordia, qua opem humano generi ipsius inimico tulit: sapientia, quæ tam mirabili modo humani generis ruinam reparavit: justitia, quæ modum invenit, ut ipsi condigna exhiberetur satisfactio &c.

Ubi advertit S. Thomas magis fuisse convenientem Filio incarnationem, quam Patri & Spiritui S. primo quia incarnatio fuit decreta ad restituendam homini primævam Dei imaginem per peccatum deformatam, quod convenientius præstabat ea Persona, quæ est naturalis imago Patris: secundo quia incarnatio fuit directa ad hoc, ut homines fierent filii Dei adoptivi, quod convenientius præstabat Filius Dei naturalis: tertio quia incarnatio fuit directa ad hoc, ut ignorantia hominum per cœlestem doctrinam depelleretur, quod convenientius ea Persona præstabat, quæ est sapientia Patris.

Homini autem convenientissima fuit incarnatio, sive spectemus totum humanum genus, quod per incarnationem fuit nobilitatum & elevatum, ut posset obtinere filiationem Dei adoptivam, sive spectemus illam individualem humanitatem, quam Verbum assumpsit; hæc enim, ut patet, fuit ad consortium divinitatis elevata. Nec obstat, quod per incarnationem natura hæc fuerit spoliata propria subsistentia; nam in magnam cessit illius utilitatem, quod ita spoliaretur, cum ita ad conjunctionem intimam cum Divina Persona evecta sit.

CAPUT SECUNDUM.

De necessitate Incarnationis.

INcarnatio dupliciter potest intelligi necessaria, ex parte Dei, & ex parte hominis. De priore necessitate hic agam, ex quo apparebit quid dicendum circa alteram. Quoad necessitatem ergo ex parte Dei examinabo 1. utrum Deus in se & independenter a quacumque hypothesi fuerit necessitatus ad ponendam incarnationem: 2. utrum fuerit necessitatus dependenter ab aliqua hypothesi.

ARTICULUS PRIMUS.

Necessitatem in Deo absolutam metaphysicam respectu incarnationis nullus, quem sciam, admisit: & merito; unde enim hæc necessitas esset repetenda? Nec est admittenda necessitas physica; cum enim hæc oriatur ex naturæ legibus, cumque his nequeat Deus necessitari, utpote qui est supra naturam, patet Deum physice ad nihil posse necessitari.

Difficultas reducitur ad necessitatem moralem, quam aliqui in Deo adstruunt, quia, inquiunt, Deus moraliter necessitatur ad optimum. Cum ergo incarnatio sit optima, ad illam proinde Deus moraliter necessitatur. Alii tamen, & quidem probabilius ne hanc quidem necessitatem in Deo respectu incarnationis admittunt, cum (etiam omisso quod incarnatio sit optima, idest melior ipsa, quam non ipsa) nolint Deum ad optimum necessitari. Cum his & ipse sentio. Rationes vide in Tractatu de Deo, ubi quæstionem examinavi, utrum Deus ad optimum necessitetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

At necessitabiturne Deus ad incarnationem posita aliqua conditione?

Pro responsione noto multas esse conditiones seu hypotheses, sub quibus potest dubitari, utrum Deus necessitaretur ad incarnationem. Præcipue sunt hypothesis creationis mundi, hypothesis lapsus humani generis, hypothesis quod hominem lapsum Deus vellet salvare, & hypothesis quod Deus vellet condignam satisfactionem pro offensa sibi illata. De singulis ex ordine.

Assertio prima. *In hypothesi creationis mundi non fuit Deo necessaria incarnatio.*

Prob. ratione. Nulla est assignabilis necessaria connexio inter creationem mundi & incarnationem; si qua enim esset, maxime esset, ut haberetur in mundo major perfectio, vel ut magis manifestaretur ad extra divina misericordia, omnipotentia &c. his autem non fundari talem necessariam connexionem patet ex dictis circa necessitatem Dei ad optimum. Ergo &c.

Assertio secunda. *Non fuit Deo necessaria incarnatio in hypothesi lapsus hominis.* Est fere communis contra S. Anselmum.

Prob. ratione. Si aliqua esset ratio, cur in hypothesi debuisset Deus incarnari, esset ut homo lapsus redimeretur. Atqui hæc ratio nulla est; nam potuisset Deus hominem lapsum in sententia relinquere damnationis, cum ipse Deus in operibus ad extra sit omnino liber. Et de facto ita se gessit cum Angelis peccatoribus, qui tamen hominibus erant nobiliores. Ergo &c.

Quæ objicit S. Anselmus melius adducentur & solventur posita sequente assertione.

Assertio tertia. *Nec fuit Deo necessaria incarnatio in hypothesi, quod hominem lapsum voluisset salvare.* Hæc pariter assertio communiter defenditur contra S. Anselmum.

Prob. ex Patribus. S. Athanasius ait: (*a*) *Etiam sine ullo ejus adventu poterat Deus tantummodo dicere, atque ita solvere maledictionem*: S. Augustinus *sunt stulti*, inquit, (*b*) *qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur de fœmina, & a peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus, poterat omnino: sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret*: S. Leo *verax*, inquit, (*c*) *misericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus infallibiliter ei multa suppeterent, hanc potissimum consulendi viam elegit*. Ergo &c.

Prob. ratione. Nam omissis aliis poterat Deus in hypothesi liberaliter omnino & absque ulla satisfactione remittere homini offensam sibi illatam; non enim neganda est Deo facultas, quam habet princeps terrenus, remittendi reis culpas absque satisfactione. Sed tunc nulla fuisset incarnationis necessitas. Ergo &c.

Obj. S. Anselmus. Ex una parte licet Deus liber esset ad creandum hominem, ac ad finem supernaturalem illum ordinandum, in suppositione tamen, quod & creaverit & ordinaverit, non poterat non subministrare illi media necessaria ad hunc finem consequendum. Hæc media debuit ille subministrare nedum pro statu innocentiæ, sed etiam supposito peccato; non enim, ut ipse ait (*d*), propositum Dei potest evacuari, idest non potest per peccatum impediri, quin Deus obtineat quod obtinere volebat, salutem nempe hominis, nec decebat, ut nobilissima creatura, qualis est homo, facultate consequendi suum finem privaretur, præcipue cum esset necessaria salus hominis ad implendas sedes Ange-

ge-

(a) *Orat.* 3. *contr. Arian.*
(b) *De agon. Christ. cap.* 11.
(c) *Serm.* 2. *de Nativ.*
(d) *Lib.* 1. Cur Deus homo *cap.* 24.

gelorum peccatorum, quas inconveniens erat non impleri, & implere non poterant nisi homines, cum nec implere possent Angeli peccatores (Angelus quippe semel peccator Deo reconciliari non potest) nec alii Angeli creabiles, quippe qui fuissent inæquales in merito Angelis, qui in gratia perstiterunt, cum hi perstitissent nulla visa animadversione in Angelos rebelles, secus illi.

Ex alia parte talia media homini lapso non poterat subministrare Deus nisi mediante incarnatione. Hoc probat S. Anselmus ex S. Cyrillo, qui ait: (*a*) *Quoniam imperfectum semper esse opus Dei non decuit, & non potuit aliter reparari, quam incarnatione Verbi, necessario Dei filius factus est homo*. Quibus similia habent alii quoque Patres. Probat etiam ratione; nam si subministrasset Deus homini lapso media sufficientia ad salutem, vel ipsi postea liberaliter remisisset peccatum, vel ab ipso exigisset condignam satisfactionem. Non primum; hoc enim cessisset in præjudicium divinæ justitiæ, quæ exigit, ut peccatum, pro quo non est satisfactum, puniatur, & præterea remissio peccati absque pœna esset inordinata, cum non minus peccatum ordinetur ad pœnam, quam actus virtutis ad præmium, unde sicuti esset quid inordinatum actus virtutis sine præmio, ita peccatum sine pœna: & tandem admissa tali remissione sequeretur peccatum nulli legi esse subjectum; si enim legi subjiceretur, procul dubio puniretur, cum lex pœnam in peccatum decernat. Remanet ergo, ut dicatur alterum. At si alterum, jam necessaria erat incarnatio, cum hac seclusa condigna satisfactio Deo exhiberi non posset. Ergo &c.

℟. Debuisse quidem Deum, cum hominem ordinavit ad beatitudinem, ei subministrare me-

(a) *Lib. 5. Tesau. cap. 7.*

dia necessaria ad illam consequendam: at in suppositione, quod hic per peccatum illis abusus sit, non tenebatur Deus ex vi prioris ordinationis ad subministranda denuo eidem homini media, quibus fuerat ex propria culpa privatus, quomodo, licet Deus etiam Angelos ordinasset ad beatitudinem, illisque media subministrasset ad eandem consequendam necessaria, postquam tamen mali peccaverunt, non amplius tenebatur ad subministranda illis eadem media. Et de facto talia media vel statim vel fere statim post peccatum illis abstulit. Ex quo patet potuisse Deum absque ulla nota mutabilitatis negare homini lapso media ad salutem; nam potuisset propositum Dei de salvando homine respicere eundem hominem tantum independenter a peccato.

Quamvis autem homines destinati sint de facto ad implendas sedes Angelorum, sicut tamen potuerunt ita a Deo non destinari, ita potuerunt destinari solum in suppositione, quod non peccassent. Et sane Deus erat liberrimus & ad decernendum, quod illæ sedes implerentur (potuisset enim absque ullo inconvenienti decernere, quod remanerent vacuæ) & ad decernendum, ut implerentur ab aliis, quam ab hominibus (potuisset enim decernere, ut implerentur vel ab aliis Angelis creabilibus, quibus poterat concedere tantam gratiam, ut in merito æquarent priores Angelos, qui steterunt, vel ab iisdem Angelis peccatoribus, quibus poterat concedere gratiam pœnitentiæ. Quidni ergo potuisset etiam decernere, ut illæ sedes implerentur ab hominibus solum in hypothesi, quod non peccassent?

Nec subsistunt quæ adducit S. Anselmus, ut ostendat fuisse necessariam incarnationem in hypothesi, quod Deus hominem lapsum voluisset reparare; nam Patres allati multipliciter possunt explicari, dicendo scilicet eos loqui vel de necessitate orta ex decreto de non liberando homine a peccato nisi per condignam satisfactionem Deo exhibendam, quo posito decreto non aliter

sat.e

sane, quam per incarnationem poterat homo a peccato liberari: vel loqui non de necessitate simpliciter, sed solum de necessitate ad melius esse, quatenus scilicet incarnatio sin minus absolute erat necessaria ob rationes supra adductas, erat tamen necessaria ad perfectam redemptionem, ut scilicet Deo exhiberetur condigna satisfactio etiam per naturam illius speciei, quæ peccaverat, & ad exhibenda hominibus exempla, quibus possent ad salutem pervenire.

Nec cessisset in præjudicium justitiæ divinæ remissio peccati absque condigna satisfactione; quamvis enim justitia utpote perfectio simpliciter simplex sit Deo essentialis, actus tamen ad extra ipsius justitiæ sunt eidem Deo omnino liberi: & quamvis peccatum ordinetur ad pœnam hoc sensu, quod ex se inducit reatum pœnæ, non tamen ordinatur hoc alio sensu, quod debeat necessario pœna plecti.

Ad paritatem, quæ deducitur ex virtutis exigentia ad præmium, ℟. primo Deum posse ut absolutum Dominum etiam negare præmium virtuti citra ullam injustitiam. Secundo etiam hoc misso ℟. ex quo non posset Deus citra injustitiam negare præmium virtuti non sequi, quod nec posset citra injustitiam remittere culpam sine pœna; exigentia enim præmii respectu actus virtuosi directe redundat in favorem illum exercentis, unde talis exigentia tandiu durat, quamdiu illi operans non cedit. Videtur ergo aliquatenus esse contra jus istius, quod non accipiat præmium, si non cedat juri ad illud. At exigentia pœnæ respectu actus peccaminosi directe redundat in favorem Dei, cujus jus læsum per pœnam compensatur. Sicuti ergo in primo casu, quia jus ad præmium directe cedit in favorem operantis, potest hic cedere huic juri, quo casu virtuosos actus absque inordinatione remanebit sine præmio, ita, quia jus ad infligendam pœnam pro peccato directe cedit in favorem Dei, poterit his cedere huic juri, sicque citra inor-

dina-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

dinationem peccatum remanebit sine pœna. Et sane ex quo Princeps terrenus non possit negare præmium bene operanti, non sequitur, quod non possit remittere pœnam operanti male. Ergo a pari &c. Tandem nec ex quo peccatum non puniretur, sequitur ipsum legi non futurum subjectum; etsi enim tunc non esset subjectum legi de facto pœnam infligenti, esset tamen semper subjectum legi illud prohibenti. Ergo &c.

Assertio quarta. *In hypothesi, quod Deus voluerit hominem lapsum liberare per condignam satisfactionem sibi exhibitam, absolute fuit quidem necessaria aliqua unio hypostatica Personæ Divinæ cum natura creata, non tamen fuit necessaria incarnatio.*

Antequam assertionem probem, noto idem non esse unionem hypostaticam Personæ Divinæ cum natura creata, & incarnationem; quamvis enim hæc sit unio hypostatica, potest tamen dari alia unio hypostatica, quæ non sit incarnatio. Sane unio hypostatica in genere solum importat assumptionem naturæ intellectualis, incarnatio autem importat assumptionem talis determinatæ naturæ, nempe humanæ: potest autem assumi alia natura præter humanam, ut E. G. angelica. Ergo potest dari unio hypostatica, quæ non sit incarnatio. Hoc prænotato

Prob. assertio. Ad liberandum hominem a peccato per condignam satisfactionem Deo exhibitam aliquis requirebatur, qui hanc Deo exhiberet. Hic non poterat esse nisi ipse Deus, cum ex visis in Tractatu de peccatis nulla pura creatura possit de condigno pro peccato satisfacere. Ergo Deus ipse satisfacere debebat. Non poterat autem satisfacere in propria natura, cum ad satisfactionem necessaria sit aliqua submissio, cujus natura divina non est capax. Requirebatur ergo, ut Deus assumeret naturam creatam, in qua posset se submittere, adeoque satisfacere, quæ natura debebat necessario esse intellectualis, cum alia quam intellectualis satisfaciendi non esset capax. Igitur de-

be-

bebat sibi Deus hanc naturam hypostatice unire, ut posset verificari, quod Deus satisfaceret. Non autem requirebatur, ut assumeret potius naturam humanam, quam aliam intellectualem, cum æque potuisset condigne satisfacere in alia natura puta in Angelica. Ergo ad condigne satisfaciendum Deo requirebatur quidem unio hypostatica Personæ divinæ cum natura creata, non autem incarnatio.

CAPUT TERTIUM.

De causa finali incarnationis.

ASsignabo hìc 1 finem, quem actu habuit Deus in incarnatione: 2. examinabo utrum redemptio generis humani ita fuerit finis incarnationis, ut homine non peccante Verbum non fuisset incarnatum.

ARTICULUS PRIMUS.

Verbum incarnatum fuisse, ut homines a peccato redimeret, certum est apud omnes; nam id aperte docet Scriptura; dicitur enim: (*a*) *Venit Filius hominis salvare quod perierat*: & alibi: (*b*) *Non egent qui sani sunt medico, sed qui male habent, non veni vocare justos, sed peccatores:* alibi: (*c*) *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum:* rursus: (*d*) *Quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit iisdem, ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest Diabolum:* & tandem: (*e*) *Ille apparuit, ut peccata nostra tolleret.*

Do-

(a) *Matt.* 18. (b) *Luc.* 5.
(c) *Jo.* 3 (d) *Heb.* 2.
(e) 1, *Joan.* 3.

Docet pariter Scriptura incarnationem fuisse directam ad tollendum peccatum tum originale, tum actuale, adeoque ad omnia peccata tollenda; dicitur enim: (*a*) *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*: & infra: (*b*) *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*.

Quæritur autem a Theologis ad quodnam principalius peccatum tollendum ordinata sit incarnatio, originale scilicet, an actuale. Pro solutione sit

Assertio. *Incarnatio principalius est directa ad tollendum originale*.

Prob. ex Scripturis. De Christo dicitur: (*c*) *Ecce qui tollit peccatum mundi*, ubi per peccatum singulariter designatum videtur denotari peccatum mundi generale, quale est originale. Ergo &c.

Prob. ratione. Licet peccata actualia sint intensive majora, quam originale, quatenus majore cum voluntarietate committuntur, unde etiam majore pœna puniuntur: & sint etiam majora extensive hoc sensu, quod subinde plura sint in homine actualia, cum originale unicum in singulis sit; adhuc tamen originale est majus actuali extensive hoc alio sensu, quod inficit totum genus humanum, unde hoc dici debet malum generale totius humanæ speciei, illa vero sunt mala particularia singulorum individuorum. Potius autem dicendum est Christum venisse ad tollendum malum universale speciei, quam mala particularia individuorum. Ergo &c.

Obj. ex ratione. I. Christus non sustinuit pœnam damni, quæ correspondet originali, sed pœnam sensus, quæ correspondet actuali. Ergo po-

(a) 1. *Joan.* 1. (b) *Ibid.* 2.
(c) *Jo.* 1.

potius ad tollendum hoc venit, quam ad tollendum illud.

II. Admissa assertione, Christus venisset ad salvandos potius posteros Adami, quam ipsum Adam; nam in illo non fuit originale, sed solum actuale, in posteris vero est etiam originale. Ergo &c.

Ad I. ℟. Christum fuisse liberum ad satisfaciendum pro originali, ut ipsi libebat, unde non erat necesse, ut pro illo satisfaceret eadem pœna, quæ pro eodem hominibus infligitur. Sane si ex conditione pœnalitatum, quas Christus subjit, deberemus arguere conditionem peccati, pro quo satisfecit, dicendum esset ipsum nullo modo pro lethali satisfecisse, cum non subierit pœnam privationis visionis beatificæ, quæ certe lethali correspondet. Hoc non. Ergo &c.

Ad II. ℟. originale hic sumi nedum formaliter & passive, ut est in nobis, sed etiam radicaliter & active, ut fuit in Adamo. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quærunt etiam Theologi an ita redemptio humani generis a peccato fuerit finis incarnationis, ut homine non peccante, adeoque redemptione non egente Verbum fuisset incarnatum, nec ne. Pro solutione

Noto I. dupliciter quæri posse, utrum homine non peccante Verbum fuisset incarnatum, nec ne, nimirum quæri potest, an hoc evenisset ex vi alterius decreti, quod Deus in illa hypothesi fecisset, & quæri potest utrum hoc evenisset ex vi decreti præsentis a Deo facti, quod tale sit, ut alios includat fines ita separabiles a fine redemptionis hominum, ut etiam hoc secluso illi vigerent, & consequenter habita fuit incarnatio. Primum Theologi fatentur se nescire; quis enim nisi divinando potest asserere Deum in aliqua hypothesi possibili, de qua Scripturæ & Patres non loquuntur, hoc vel illud decreturum fuisse?

No-

Noto 2. circa alterum duplicem esse sententiam. Alii cum S. Thoma putant ita Deum decrevisse incarnationem in remedium peccati, ut hoc non existente nec extitura fuisset ex vi hujus decreti incarnatio. Alii, ut Scotus, Isambertus, Suarez putant Deum quidem decrevisse de facto incarnationem in remedium peccati, ita tamen ut simul etiam decreverit ob alia motiva a peccato independentia, ut esset E. G. manifestatio divinæ gloriæ, exaltatio naturæ humanæ, eruditio hominum, & similia. Contendunt proinde decreti a Deo actu circa incarnationem formati hunc esse sensum: volo absolute incarnationem, ut manifestetur gloria mea, ut exaltetur natura humana, ut homines erudiantur &c. Quod si homo non peccaverit, hæc incarnatio fiet in carne impassibili, cum ad omnia peragenda, quæ in tali hypothesi peragenda sunt, sufficiat incarnatio ita habita: si vero homo peccaverit, cum tunc velim redemptionem hominum, volo ut incarnatio fiat etiam ad finem talis redemptionis, & cum hæc redemptio sit consummanda per condignam satisfactionem mihi exhibendam, volo ut incarnatio fiat in carne passibili. Ex quibus patet in sententia istorum incarnationem futuram fuisse ex vi præsentis decreti etiam non existente peccato.

Assertio. *Probabilius ex vi præsentis decreti Adamo non peccante incarnatio habita non fuisset.*

Prob. ex sensu Ecclesiæ, quæ peccatum Adami supponere videtur necessarium, ut Christus veniret; ita enim canit: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem: O certe necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est.* Ergo hoc peccato non existente Christus non venisset.

Prob. ex Patribus. S. Iræneus ait: (*a*) *Si non ha-*

(a) *Lib.* 5. *cap.* 14.

haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum fuisset: Origenes: *si non fuisset*, inquit, (*a*) *peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, nec opus fuerat eum in carne positum jugulari, sed mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum*. S. Ambrosius: *quæ erat*, inquit, (*b*) *causa incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, per se redimeretur*. S. Augustinus: *si homo*, inquit, (*c*) *non periisset, filius hominis non venisset:* & alibi: (*d*) *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere*. S. Leo inquit: (*e*) *Si homo in suæ naturæ honore mansisset, nec diabolica fraude deceptus a lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, Creator mundi creatura non fieret*. Ergo &c.

Nec dicant Adversarii adductos Patres ita esse intelligendos, ut tantum negent Christum Adamo non peccante venturum in carne passibili; nam ex una parte nulla est sufficiens ratio ita Patres explicandi, ex alia hi tam generaliter loquuntur, ut nedum talem, sed omnem Christi adventum secluso peccato negent. Et sane si vera esset hæc propositio, Petrus non venisset Bononiam, nisi ipsius amicus infirmatus fuisset, gratis diceretur Petrum venturum quidem, sed non tali vel tali veste, per talem aut talem viam &c., & hoc quia supposita propositionis veritas excludit quemcunque adventum. Ergo a pari &c.

Obj. ex Scripturis. I. Hæ assignant alios fines incarnationis præter redemptionem hominum, ut gloriam Dei juxta illud: (*f*) *Universa propter se-*

(a) *Homil.* 24. *in Num.*
(b) *De Incarn. cap.* 6. *n.* 56.
(c) *Serm.* 174. *al* 8. *de Verb. Apost. c.* 2.
(d) *Serm.* 175. *al.* 9. *cap.* 1.
(e) *Serm.* 3. *de Pentec.*
(f) *Prov.* 16.

semetipsum operatus est Dominus: gloriam ipsius Christi juxta illud: (*a*) *Omnia vestra sunt, vos autem Christi:* eruditionem hominum juxta illud Christi: (*b*) *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*: diffusionem charitatis juxta illud ejusdem Christi: (*c*) *ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* abundantiam donorum spiritualium juxta illud: (*d*) *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Ergo &c.

II. Ex his constat Christum ut hominem esse ante omnes creaturas volitum, adeoque etiam independenter a peccato; nam dicitur: (*e*) *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio: ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram* (quæ verba de Christo ut homine intelligunt plerique Patres, & favent septuaginta, qui loco *possedit* legunt *creavit*, quod nonnisi de Christo ut homine intelligi potest). Christus ergo etiam ut homo est initium viarum Domini. Non executionis, ut patet; nam multa præcesserunt Christi adventum. Ergo intentionis. Hoc idem colligitur ex illo: (*f*) *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam*, & ex alio: (g) *Qui est immago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, quæ verba Christo aptantur, & non aliter quam Christo ut homini, cum loquantur de Christo ut creatura. Rursus Christus etiam ut homo est finis omnium creaturarum, finis autem intenditur ante media. Ergo Christus intentus fuit ante creatu-

---

(a) 1. *Cor.* 3.
(b) *Jo* 18.
(c) *Luc.* 12.
(d) *Jo.* 10.
(e) *Prov.* 8.
(f) *Eccle* 24.
(g) *Coloss.* 1.

turas. Quod ita Christus sit finis patet tum ex illo: (*a*) *In ipso* (idest in gratiam ipsius) *condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia, & invisibilia* tum ex alio: (*b*) *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei*, quo denotatur Christum esse finem nostrum, ut nos sumus fines rerum sensibilium, & Deus est finis ipsius Christi. Tandem Christus ut homo fuit exemplar creationis Adami; dixit enim Deus: (*c*) *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, quam similitudinem referri ad Christum ut hominem docet Tertullianus inquiens: (*d*) *Sic præfatio Patris ad filium: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi:* exemplar autem præsupponitur operi, adeoque antecedenter ad opus est decretum & volitum. Ergo &c.

III. Deus dedit (adeoque ab æterno dare intendit) gratiam tum Angelis, tum hominibus ex meritis Christi. Cum autem gratia Adamo collata & a fortiori collata Angelis fuerit in priori ad peccatum, merita hæc erant pariter prævisa & decreta antecedenter ad peccatum, adeoque prævisus & decretus Christus. Porro quod Deus Angelis & hominibus dederit gratiam ex meritis Christi, patet ex Apostolo vocante Christum (*e*) *caput corporis Ecclesiæ*, & dicente illum (*f*) esse constitutum *supra omnem principatum & virtutem & potestatem & dominationem & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro;* cum enim de ratione capitis sit influere in membra, debuit Christus consequenter influere gratiam in Angelos & in homines. Ergo &c.

Ad

(a) *Coloss.* 1. (b) 1. *Cor.* 3.
(c) *Gen.*
(d) *Lib.* 1. *de resurr. carnis cap.* 6.
(e) *Coloss.* 1. (f) *Ephes.* 1.

Ad I. ℟. Posse verificari, quod Christus non venisset, nisi homo peccasset, etsi ad alios fines supradictos venerit, per hoc quod illi fines fuerint connexi cum fine redemptionis, & quodammodo ab illo dependentes. Et en quomodo. Licet ultimus finis incarnationis, sicut & aliarum omnium operationum Dei fuerit ipsius Dei gloria, hæc tamen non fuit quæcumque gloria, sed gloria suæ misericordiæ, quæ maxime elucet in raparatione humani generis. Huic autem gloriæ locus non fuisset nisi per reparationem hominis lapsi, sicuti licet Deus puniendo impios ultimate intendat gloriam suam, si tamen non adessent impii puniendi, hanc gloriam non reportaret, quia hæc non est quæcunque gloria, sed gloria justitiæ divinæ ulciscentis se de inimicis suis. Hoc idem valet de gloria Christi, quæ esse debebat gloria reparatoris generis humani, adeoque solum habenda posita in hoc indigentia reparationis. Quod etiam videntur innuere Scripturæ, dum docent Christum glorificatum ob passionem, quam subierat ad homines redimendos; dicitur enim (*a*) *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* & alibi (*b*): *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltavit illum*: rursus (*c*): *Eum, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum*. Eruditio pariter hominum, quam intendebat Christus veniendo in mundum, non erat quæcumque eruditio, sed talis, qua intellectus hominum per peccatum obtenebratos luce veritatis illuminaret, quod & ipsum, ut patet, locum non habebat non supposito peccato. Rursus diffusio charitatis debebat esse talis, ut corda hominum nedum non accensa, sed insu-

per

(a) *Luc.* 24. (b) *Philip.* 2.
(c) *Heb.* 2.

per ob peccatum gelida inflammaret. Hæc autem & ipsa, ut patet, peccatum supponit. Tandem diffusio donorum spiritualium debebat hoc in se habere mirabile, quod esset diffusio donorum maximorum in indignos: indignitas autem hæc ex peccato oriri debebat. Ergo &c.

Ad II. ℟. Negando Christum ut hominem esse volitum ante omnes creaturas. Nec obstant quæ contra adducuntur; primus enim locus intelligendus est de Christo ut Deo, qui tantum dicitur creatus, quatenus productus est, cum vox *creare* identidem sumatur pro quacumque productione, licet non sit rigorosa creatio, ut cum dicitur Deus (*d*) *creans tenebras*, & ipse Horatius canebat: *Fortes creantur fortibus*. Adde quod, etsi textus adductus explicaretur de Christo ut homine, posset tamen dici ipsum esse volitum non ante quam Deus vellet existentiam aliarum creaturarum, sed ante quam vellet reparationem hominis lapsi. Cum autem in Christo duplex sit natura, non implicat, quod totam sententiam de eodem intelligentes, illam tamen per distributionem, ut dici solet, accommodam ita intelligamus, ut Christus qua Deus fuerit principium operum creationis, qua homo operum redemptionis. Addit Platellius posse etiam dici Christum ut hominem fuisse volitum ab æterno, & antequam res omnes producerentur abstrahendo a prioritate in Dei decreto, quod *licet*, inquit ipse, *sit commune omni creaturæ, subinde tamen specialiter commemoratur a Scriptura ad designandum singularem Dei amorem, ut fit ad Ephes.* I. *cum dicimur electi ante mundi constitutionem, quod utique significare non potest ante decretam creationem mundi, saltem ut comprehendit hominem*.

Quæ loca dicunt Christum primogenitum omnis creaturæ possunt intelligi de Christo ut Deo, qui ita appellatur, quia cum genitus sit ab æterno, consequenter genitus est ante omnem creaturam. Quod si illa vellemus intelligere de Christo ut homine, possemus primogenitum ipsum dicere

non

non anterioritate productionis aut signi, sed dignitatis; non est enim novum in Scripturis, quod maximum in aliquo genere dicatur *primogenitum*, ut cum dicitur (*a*): *Et ego primogenitum ponam illum*, idest ut ibidem explicatur *excelsum præ Regibus terræ:* & cum dicitur (*b*) *Consummat brachia illius primogenita mors*, idest mors funestissima. & cum dicitur (*c*): *Et pascentur primogeniti pauperum*, idest pauperrimi. Ergo &c.

Nec loca sequentia evincunt Christum esse finem, ad quem omnes creaturas direxerit Deus; primus enim communius a Patribus explicatur de Christo ut Deo, per quem (licet etiam creaturam qua homo est): Deus omnia fecit. Alter non indicat rigorosam paritatem inter adducta, alias sicuti nos non sumus rerum sensibilium, ita nec Christus posset dici noster, cum tamen talis dicatur in Scripturis per illud (*d*) *Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis*, quod dictum adoptavit Ecclesia, dum in hymno corporis Christi ait: *Nobis datus, nobis natus &c.* Indicat ergo solum quod sicuti, omnia sensibilia sunt nostra titulo donationis, & Christus ut homo est Dei titulo creationis, ita nos sumus Christi titulo redemptionis, quatenus scilicet proprio sanguine nos in suos acquisivit. Pariter sicuti omnia sensibilia redundant in nostram utilitatem, & Christus omnia sua retulit in gloriam Dei, ita & nos omnia nostra referre debemus in gloriam Christi redemptoris nostri.

Quod additur evincit quidem Christum qua hominem fuisse exemplar creationis Adami, cum actu ipsum Adamum Deus creavit, sed non quod fuerit exemplar in signo, quo primo Deus efformavit

---

(a) *Psal.* 88. (b) *Job.* 18.
(c) *Is.* 14. (d) *Is.* 9.

mavit decretum de ipso creando. Cum autem in actu creationis Adami jam Christus fuisset decretus, utpore decretus ab æterno, poterat respici ut exemplar hujus creationis. Ut interim omittam pluribus aliis modis explicari posse similitudinem hominis cum Deo, de quibus in Tractatu de homine.

Ad III. ℟. Gratiam Angelis & Adamo innocenti non fuisse datam ex meritis Christi, quin obstent objecta loca; ratio enim capitis in Christo, quæ importatur per priora, salvatur per solam dignitatem & præstantiam, quam Christus super omnes obtinuit, quin ad illam requiratur prætensus influxus (concedendus cæteroquin ex aliis rationibus Christo relate ad hominem lapsum). Videantur quæ infra dicentur, cum agetur de merito Christi relate ad Angelos.

Obj. ex Patribus. I. S. Irenæus ait: (a). *Cum præexisteret salvans, oportebat, & quod salvaretur, fieri, ut non in vacuum sit salvans*. Salvans, de quo Irenæus, est Christus homo. Hic per ipsum præextitit salvando, idest homini, quod sane non potest intelligi de præexistentia reali, cum Christus ut homo non extiterit nisi post peccatum Adami. Ergo intelligi debet de præexistentia in decreto Dei, adeoque &c.

II. S. Cyrillus ait (b): *Si propter nos factus est Filius, & non propter Filium nos, erimus nos ipso multo præstantiores*. Ergo ex Cyrillo Christus non est factus propter nos. Ergo etiam nobis non peccantibus venisset: rursus inquit: (c) *Præfundatur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur, idque ante initium mundi in præscientia Dei, ut cum ordine divino benedictio maledictionem antecesserit ... & possit natu-*

(a) *Lib.* 3. *cap.* 22. *ol.* 33. *n.* 3.
(b) *Lib.* 5. *Thess.* *cap.* 3.
(c) *Ibid.* *cap.* 8.

ra humana superatis malis, quæ interim acciderunt, in pristinam per gratiam Christi (qui fundavit eam in bonis) dignitatem recurrere, talisque fieri, qualem Deus ex charitate per Filium suum futuram constituit &c. Hic dicit S. Cyrillus Christum præfundatum esse, idest prædestinatum ante omnes, & nos omnes esse in illo ædificatos, idest in gratiam illius prædestinatos: dicit insuper benedictionem fuisse priorem maledictione, idest gratiam fuisse collatam Adamo, antequam incurreret maledictionem per peccatum, & hanc gratiam dicit datam esse a Christo, qui *naturam humanam fundavit in bonis*. Ergo per S. Cyrillum Christus est volitus ante Adamum, adeoque independenter ab ejus peccato.

III. S. Athanasius (*a*) docet Christum non esse factum propter nos, alias non nos illi gratias agere deberemus, sed potius ille nobis gratias agere deberet, qui fuissemus occasio, ut ipse existeret. Ergo ex mente S. Athanasii Christus etiam non existente peccato venisset. Hæc sunt verba S. Doctoris: *Si Deus volens creatitiam condere naturam Filium in eos usus procreavit, ut per eum nos ædificaret, apparet Filium propter nos, & non nos propter Filium conditos esse; non enim nos ejus causa creati fuissemus, sed ille nostri, adeo ut ipse nobis, non nos illi gratiam debeamus*, & addit: *Si illud conceditur, plane sequitur, ut Pater Filium sibi voluerit; non enim volens eum creare creavit, sed cum nos vellet salvare, nostri gratia eum instituit.*

IV S. Augustinus (*b*) docet matrimonio Adami & Evæ, quod peccatum præcessit, præfiguratam fuisse conjunctionem Christi cum Ecclesia. Ergo antecedenter ad peccatum, adeoque independenter ab illo Christus venisset. Ergo &c.

Ad

(a) *Lib. 3. contr. Arian.*
(b) *Lib. 1. de nupt. & concup. cap.* 21.

Ad I. ℟. Salvatorem, de quo Irenæus, fuisse Verbum, quod seipsum exhibuit paratum ad incarnationem, si id exegisset hominum salvandorum necessitas. Ne igitur irrita esset tam benevola exhibitio, debuit juxta Irenæum permitti peccatum, ut existeret homo salvandus, sicque locus præberetur Verbo ostendendi in actu secundo per incarnationem misericordiam suam in homines. Hoc autem non exigebat, ut patet, quod Christus absolute decerneretur nisi supposito peccato hominis: quomodo si amicus se mihi exhibeat in fidejussorem in hypothesi, quod contractum inire velim, & ego, ne irrita sit hæc exhibitio, statuam inire contractum, non debet talis fidejussio absolute decerni nisi supposita voluntate mea absoluta ineundi contractum. Adde quod, si subsisteret argumentum, probaret Christum etiam ut salvatorem decretum fuisse ante peccatum hominis, quod negant adversarii admittentes decretum de Christo ut salvatore solum dependenter a tali peccato. Ergo &c.

Ad II. ℟. S. Cyrillum primo loco solum contendere Christum non fuisse volitum propter nos ut finem ultimum, sed fuisse sic volitum tandem propter se. Et hoc apposite ad retundendum errorem Nestorii tempore S. Cyrilli grassantem, qui, ut infra dicetur, duplicem admittens in Christo personam consequenter negabat Christum esse verum Deum; cum enim finis ultimus cujusque operationis divinæ non possit esse nisi Deus, & gloria ipsius, statim ac statutum erat incarnationem habere pro fine ultimo Christum, probatum erat consequenter Christum esse Deum. Sed ad statuendum, quod Christus sit volitus tandem propter se ut finem ultimum, non erat necesse, quod ipsius adventus ad nullum alium finem minus dignum (qualis est redemptio hominum) proxime & immediate referreretur; sciebat enim S. Cyrillus rem nobiliorem ad minus nobilem posse absque inconvenienti ordinari, ut si hæc non esset obtinenda, illa poneretur, sicuti potest quis ordinare

 sacri-

sacrificium ad salutem corporis obtinendam, & ita ordinare, ut si non adesset hoc motivum, non vellet hic & nunc sacrificium. Ergo &c.

Altero loco S. Cyrillus solum contendit Christum esse causam prædestinationis omnium hominum, ita ut nullius sit decreta absoluta salus nisi dependenter a meritis Christi, quod & nos concedimus; quamvis enim gratia Adamo innocenti fuerit, ut dixi, data independenter a meritis Christi, non fuit tamen aut Adami aut ullius alterius hominis decreta absoluta salus, nisi dependenter a Christo futuro reparatore, unde verificatur nos omnes esse superædificatos in Christo, qui est primus prædestinatorum, & in cujus prædestinatione omnium hominum prædestinatio fundatur. Gratia autem prima, licet non fuerit data Adamo ex meritis Christi, potest tamen dici data a Christo, quia data est a Deo Verbo, quod eadem est persona ac Christus. Hæc omnia salvantur, etsi incarnatio fuerit decreta solum post prævisum peccatum Adami. Ergo &c.

Ad III. omisso, quod S. Athanasius loquatur de Filio ut Christus est, non autem ut est præcise Deus, ℟. dicendo S. Doctorem contra Arianos solum contendere Christum in eorum sententia debuisse gratias agere homini, non hominem ipsi, quia nonnisi propter homines in eorum sententia fuisset; ipsi enim faciebant Verbum Deum improprie, adeoque creaturam, quæ condita fuisset a Deo, ut per illam conderentur aliæ creaturæ. Igitur quoad naturam divinam (impropriam, qualem admittebant Ariani) Filius nonnisi propter homines fuisset. Nec pariter fuisset quoad naturam humanam assumptam nisi propter homines, quia nonnisi Adamo peccante venisset. Ergo Christus nonnisi propter homines juxta Arianos fuisset. At in sententia nostra Christus fuisset etiam homine non peccante, scilicet quoad naturam divinam. Ergo non debuit gratias agere homini, quasi quod solum propter illum fuisset. Quod si dicas debuisse saltem in nostra sen-

ten-

sententia gratias agere homini, quod propter illum factus fuisset homo, ℟, ob id non debuisse Filium gratias homini agere, licet juxta S. Doctorem debuisset in hypothesi Arianorum; nam in hac hypothesi Filius propter homines transiisset de non esse ad esse, adeoque melioratus fuisset, in nostra autem transiit ab esse solius Dei ad esse etiam hominis, quo transitu non fuit melioratus, sed, si ita loqui fas est, potius deterioratus juxta illud (a): *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*. Quod si tandem dicas juxta argumentum Athanasii debuisse in nostra sententia saltem tales gratias agere homini Christi humanitatem, utpote quæ propter homines fuit meliorata, idest evecta ad unionem hypostaticam, ℟. nec id sequi; nam in hypothesi Arianorum homo fuisset occasio aliquo modo activa respectu existentiæ divini Verbi; at in hypothesi nostra homo fuit tantum occasio passiva & accepta a Deo ex mera sua misericordia; non enim allectus fuit ullo modo Deus ad decernendum Redemptorem ex peccato hominum, cum potius ob hoc ipsi meruissent æternam perditionem. Ergo &c.

Ad IV. omisso, quod S. Augustinus dicat matrimonium Adami & Evæ fuisse præfigurationem conjunctionis Christi cum Ecclesia; rigorose enim hoc non dicit, sed tantum futurum in statu innocentiæ conjugium, quod postea Apostolus vocavit magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia, ut patet ex ejus verbis: *Respondebit connubii Sacramentum: de me ante peccatum dictum est in paradiso: Relinquet homo patrem &c.; quod magnum Sacramentum dicit Apostolus in Christo, & Ecclesia*, hoc inquam omisso ℟. cohærenter

(a) *Philipp.* 2.

ad dicta, Christum jam fuisse decretum, cum homo actu peccavit; posito autem hoc decreto voluisse Deum, ut Christus etiam per illa, quæ actu præcedebant peccatum, præfiguraretur, adeoque etiam per dictum matrimonium. Sed aliud est, quod Christus prius tempore, quam homo peccaverit, fuerit volitus, aliud quod fuerit volitus in priori signo rationis respectu ejusdem peccati. Sane huc quoque confugere debent adversarii, ut se expediant a difficultate, quæ ex S. Augustino fieri potest contra ipsos, qui volunt antecedenter ad peccatum fuisse quidem decretum Christum, sed non in carne passibili; S. enim Doctor dicit (*a*) in sopore Adami præfiguratam fuisse Christi mortem, & in productione Evæ ex costa Adami ædificationem Ecclesiæ ex vulnere lateris Christi. En juxta S. Doctorem duo, quæ etiam per adversarios fuerunt decreta solum in posteriori ad peccatum, præfigurata in iis, quæ peccatum præcesserunt. Quomodo hæc explicabunt? Non aliter sane, quam dicendo, quod decretum de morte & aperitione lateris Christi erat quidem posterius in signo respectu peccati Adami, sed prius in re. Ergo a pari &c.

Obj. ex ratione. Ex posita assertione plura sequuntur absurda. I. quod nostra prædestinatio sit prior prædestinatione Christi; nam voluntas mittendi Christum per nos fuit effectus nostræ prædestinationis. Ergo hæc voluntas talem prædestinationem supposuit. Igitur hæc prædestinatio prior fuit Christo, adeoque Christi prædestinatione.

II. quod nos possimus lætari de peccato Adami, quod nobis fuit occasio accipiendi tantum bonum, quale est incarnatio: imo quod ipsa Christi

(a) *Tract. 120. in Jo.*

sti humanitas lætari poſſit de eodem peccato, utpote quod ipſi fuit occaſio, ut aſſumeretur ad unionem hypoſtaticam.

III. quod incarnatio ſit bonum occaſionatum ex peccato.

IV. quod Maria non fuerit præſervata ab originali, cum juxta nos fuerit incluſa in voluntate Adami peccantis; in illo enim ſigno, in quo decreta eſt a Deo permiſſio peccati Adami, fuerunt incluſi in illius voluntate omnes illius poſteri. Ergo etiam Maria, quæ tunc non debebat excidi ab hac lege, cum exceptio non poſſet provenire niſi ex meritis Chriſti in illo ſigno nondum decreti. Ergo &c.

Ad I. ℞. voluntatem mittendi Chriſtum non fuiſſe effectum noſtræ prædeſtinationis, ſed ſolum voluntatis, quam habuit Deus dandi gratias ſufficientes ad ſalutem omnibus hominibus, quæ voluntas eſt diſtincta a prædeſtinatione. Voluntas autem ſpecialis & efficax ſalvandi hunc vel illum, quæ eſt ipſa prædeſtinatio, fuit ex dictis poſterior voluntas mittendi Chriſtum. Ergo &c.

Ad II. ℞. nos non poſſe de peccato Adami lætari, quia licet ab ipſo deſumpſerit Deus occaſionem mittendi Chriſtum, hæc tamen occaſio fuit mere paſſiva, accepta, & ex ſe potius apta ad retrahendum Deum ab impertiendo nobis tanto beneficio. De miſericordia potius Dei eſt nobis lætandum, qui talem occaſionem ex peccato deſumpſit, & hoc ſenſu canit Eccleſia: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem*? Sane ſi ideo de peccato Adami lætari deberemus, quia ex ipſo deſumpſit Deus occaſionem mittendi Chriſtum, multo magis lætari deberemus de peccato Judæ & crucifixorum Chriſti, qui fuerunt cauſæ mortis illius, ex qua tanta nobis bona provenerunt. Hoc non; nam hi non fuerunt cauſæ per ſe, & ex propria intentione cauſantes nobis hoc tantum bonum. Ergo &c. Ex his patet, quare nec Chriſti humanitas lætari potuerit de peccato Adami: ubi tamen ob-

 ſer-

servo non deesse aliquos concedentes posse humanitatem Christi lætari de peccato Adami, non ut peccato, sed præcise ut per accidens ex mera Dei bonitate fuit illi occasio unionis hypostaticæ, & abstrahendo ab ejus malitia, quod si subsistit, & nos ita poterimus de peccatu ipsius Adami lætari. Sed hæc responsio parum differt a superiore.

Ad III. ℟. concedendo incarnationem fuisse bonum occasionatum, si hoc nomine intelligatur bonum, cui occasionem dedit peccatum modo explicato: negando vero, si hoc nomine veniat bonum fortuitum aut non aliter volibile quam, supposito peccato: in primo enim casu nullum est ex dictis inconveniens, utique vero in altero, quod tamen ex nostra assertione non sequitur.

Ad IV. omissis aliis ℟. ex quo Maria fuerit inclusa in voluntate Adami peccantis solum sequi, quod habuerit debitum proximum contrahendi originale, quod debitum jam admisi in Tractatu de homine: cum quo tamen stat, quod ipsa jam in propria persona existens fuerit ex meritis Christi jam decreti ab illo præservata. Nisi dicere velimus cum aliquibus in illo signo, in quo Deus prævidit Adamum peccaturum, nondum fuisse decretam existentiam Mariæ, quæ solum decreta fuit in hypothesi decreti de Christo mittendo, adeoque in posteriori ad peccatum Adami: quod niti videtur auctoritati præcipue S. Ephrem Syri dicentis (a): *Si non erat Deus caro, quorsum Maria in mundum producta?* Istis enim innuit Mariam non fuisse venturam nisi veniente Christo. Cum ergo, quando prævisum est peccatum Adami, nondum decretus fuisset Christus, nondum pariter erat decreta Maria, adeoque &c.

In

(a) *Serm. de Transfigurat.*

In sententia ergo hucusque propugnata hic juxta nostrum concipiendi modum fuit ordo divinorum decretorum relate ad Christum. Primo Deus voluit condere Angelos & homines, quibus voluit ex mera sua liberalitate gratiam imperti-ri: secundo vidit quod, si hi proprio arbitrio relicti essent, cecidissent, & permittere decrevit utrorumque lapsum: tertio voluit Angelos rebelles condemnare, hominem vero a peccato liberare per condignam satisfactionem sibi exhibendam, & ideo decrevit mittere Christum: quarto decrevit ex meritis Christi dare Adamo & posteris ejus media ad salutem sufficientia, & aliquibus etiam gratias efficaces, perseverantiam, gloriam &c.

CAPUT QUARTUM.

De causa meritoria Incarnationis.

ILli, de quibus dubitari potest an meruerint incarnationem, sunt præcipue humanitas Christi per se spectata, ipse Christus, B. Virgo, & antiqui SS. Patriarchæ. Rursus dubium potest esse de merito tum condigno, tum congruo. Rursus potest dubitari utrum isti meruerint incarnationem quoad substantiam, an saltem quoad circumstantias.

Examinabo ergo quæ spectant ad meritum incarnationis 1. relate ad humanitatem Christi per se spectatam, 2. relate ad Christum, 3. relate ad Deiparam, 4. relate ad SS. Patriarchas.

ARTICULUS PRIMUS.

Humanitas Ghristi non meruit unionem hypostaticam cum Verbo; si enim ita meruisset, illam meruisset per operationes vel tempore, vel natura ipsam unionem præcedentes. At non primum; nam hæc humanitas nullo temporis puncto extitit ante ipsam unionem: non secundum;

nam omne donum supernaturale, quod fuit in humanitate Christi, & quod ad meritum erat necessarium, incarnationem supponebat, cum hæc omnium donorum supernaturalium ipsi humanitati collatorum fuerit fundamentum & radix. Principium autem meriti non cadit sub meritum. Ergo &c. Hinc S. Augustinus inquit: (*a*) *Respondeatur queso: ille homo, ut a Verbo Patri coeterno in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?* Sed

Dices: Scripturæ innuunt humanitatem Christi meruisse unionem hypostaticam, ut ubi dicitur (*b*): *Dilexisti justititiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*; unctio enim hæc nihil est aliud ex Patribus, nisi unio hypostatica, quæ si illi, quem alloquitur Propheta, est concessa, quia dilexit justitiam, proculdubio est concessa soli humanitati Christi. Huc etiam pertinet illud: (*c*) *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem*; hoc enim non potest intelligi de Christo, qui nequit dici dignus accipere divinitatem, cum hanc in se habeat. Debet ergo intelligi de humanitate ipsius, quæ, si fuit digna accipere divinitatem, illam consequenter meruit.

R. Cum S. Hyeronymo unctionem, quæ primo loco commemoratur, posse intelligi pro gloria resurrectionis corporis Christi, & glorificatione nominis, quæ facto Christus meruit, ut infra probabitur: vel cum S. Augustino (*d*), etsi un-

(a) *De prædest. Sanct. cap.* 15.
(b) *Psal.* 44. (c) *Apoc.* 5.
(d) *In Psal.* 44.

unctio illa intelligatur pro unione hypostatica R/. illud *propterea* non indicare causam meritoriam, sed solum finalem, ita ut hic sit sensus: Deus univit hypostatice humanitatem Verbo, ut diligeret justitiam, & odio haberet iniquitatem. Alter locus nequit intelligi de sola humanitate; hæc enim non potest dici agnus occisus cum humanitas in morte Christi fuerit unita Verbo, adeoque fuerit Christus. Debet ergo de Christo intelligi, qui dicitur dignus accipere divinitatem, idest non veram divinitatis communicationem, sed solum illius manifestationem, & honorem illi debitum, quem de facto Christus meruit passione sua. Favet textus Græcus, ubi pro *divinitatem* legitur *divitias*.

ATTICULUS SECUNDUS.

Christus non meruit unionem hypostaticam, hæc enim ad omne meritum Christi supponitur, cum ab hac Christus ut Christus constituatur. Ad summum dici potest cum Suarez Christum per primas operationes, quas elicuit meruisse continuationem unionis hypostaticæ pro tempore subsequente, quia licet hæc unio esset indissolubilis adeoque illius continuatio aliunde esset debita, non tamen repugnat, quod esset debita duplici titulo, adeoque etiam ob meritum.

ARTICULUS TERTIUS.

Est communis sententia, quod Deipara nullo modo meruerit incarnationem quoad substantiam. Ratio est, quia omne meritum Deiparæ incarnationem supposuit, cum supposuerit gratiam illi collatam ex meritis Christi futuri. Ergo incarnatio quoad substantiam fuit in Maria principium meriti, consequenter non potuit cadere sub merito.

Putant aliqui Deiparam meruisse de condigno incarnationem quoad aliquas circumstantias:

volunt enim ipsam meruisse de condigno, ut fieret Mater Dei, adeoque meruisse incarnationem saltem quoad hanc extrinsecam circumstantiam, ut perficeretur in ipsa & de ipsa. Sed nec hoc videtur subsistere; nam ad meritum condignum inter alia requiritur promissio; de hac autem in casu non constat. Quod enim illi ad probandam hanc promissionem adstruunt vel ex Prophetis, qui prædixerunt Christum de Virgine nasciturum, vel ex verbis Angeli: (a) *Ecce concipies in utero & paries &c.* nihil probant, cum hæc non importent promissionem, sed simplicem revelationem. Ergo &c. Addi posset, quod merita B. Virginis quamvis maxima, erant tamen ejusdem speciei cum meritis aliorum justorum. Ut ergo præmium condignum istorum non est nisi augmentum gratiæ, & gloriæ, ita nihil aliud debuit esse respectu Deiparæ.

Maternitatem tamen Dei meruit Deipara congrue saltem congruentia late tali importante, quod, licet hæc primo fuerit illi gratis decreta, ex meritis tamen fere infinitis, quæ cumulavit vi gratiarum, quæ intuitu illius taliter decretæ ipsi fuerunt collatæ, resultavit in ipsa nova veluti dispositio, & novus titulus, ob quem Dei Mater evaderet: ad quod videtur respexisse S. Thomas, dum docuit B. Virginem de condigno meruisse illum puritatis & sanctitatis gradum, quo congrue fieret Mater Dei.

Imo juxta hoc intelligendæ sunt locutiones Ecclesiæ & Patrum meritum in Maria & condignitatem innuentium circa divinam maternitatem, ut est illud Ecclesiæ de Maria: *Ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur*: & illud: *Regina cœli lætare, quia quem meruisti portare &c.*

(a) *Luc.* 1.

&c. Tale pariter eſt illud Auguſtini (*a*) *Virginem matrem . . . pia fide Sanctum germen in ſe fieri promerentem, quam eligeret creavit, de qua crearetur elegit:* & aliud Hieronymi (*b*) *Propone tibi beatam Mariam, quæ tantæ extitit puritatis, ut mater Domini eſſe mereretur.*

ARTICULUS QUARTUS.

Ex dictis hucuſque circa meritum Deiparæ relate ad incarnationem, collige quid ſit dicendum circa meritum SS. Patriarcharum in ordine ad eandem: ipſi ſcilicet nec de congruo, nec de condigno meruerunt incarnationem quoad ſubſtantiam: meruerunt autem congrue ſaltem congruentia late tali quoad aliquas circumſtantias: & ita E. G. Abraham meruit, ut Chriſtus ex ipſo carnaliter deſcenderet, juxta illud (*c*): *quia feciſti rem hanc . . : benedicentur in ſemine tuo omnes gentes &c.*

DISSERTATIO II.

De exiſtentia Incarnationis.

EXiſtentia incarnationis diverſimode probatur contra Judæos, ac contra Gentiles; contra Judæos enim uti poſſumus divina auctoritate veteris Teſtamenti, quam ipſi admittunt, ſecus contra Gentiles illam non admittentes. Contra

(a) *Lib.* 2. *de pecc. mer. & remiſſ. cap.* 24.
(b) *Epiſt.* 22. *n.* 38. (c) *Gen.* 22.

tra hos ergo posteriores sufficiant adducta in Tractatu de virtutibus Theologicis, cum afferrentur motiva evidentis credibilitatis religionis nostræ, quæ simul ostendunt incarnationem esse peractam, utpote quæ est unum ex præcipuis dogmatibus ejusdem religionis. Contra priores ex professo agendum dissertatione hac, in qua afferam ex veteri Testamento principaliora loca, quæ ad incarnationem referuntur, atque ex iis ejusdem existentiam ostendam. Adducam ergo in primis contra Judæos loca Scripturæ, quæ pertinent ad adventum Messiæ, atque ex iis ostendam Messiam ipsum advenisse. Cum autem ex dicendis tum in hac dissertatione, tum in sequentibus Messias debuerit esse Deus, qui assumpserit naturam humanam; si probatum erit Messiam advenisse, probatum erit pariter peractam jam fuisse incarnationem. Postea ostendam quæ de Messia prædicta erant in Christo Jesu fuisse verificata. Ad probandum porro verificata esse quæ circa Messiam prædicta erant in veteri Testamento, & verificata esse in Christo, utar Testamento novo, quod a Judæis non admittitur ut Scriptura divina, sed nihil ex hoc; nam novo Testamento contra ipsos non utar ut verbo Dei, sed tantum ut historia humana, cui rationabiliter fides negari nequit.

Dissertationem hanc itaque in quinque capita divido. In 1. ostendam Messiam venisse ex vaticinio Jacobi: in 2. id ostendam ex vaticinio Danielis: in 3. agam de initio & fine hebdomadarum, de quibus sermo est in eodem Danielis vaticinio: in 4. ostendam adventum Messiæ ex vaticiniis Aggæi, & Malachiæ: in 5. ostendam Messiam esse Jesum Christum.

CA-

CAPUT PRIMUM.

Ostenditur Messiam venisse e vaticinio Jacobi.

Jacob Patriarca morti proximus ad se vocavit filios suos, iisque singulis benedixit, ac prænunciavit quæ ipsis & ipsorum descendentibus erant eventura: *Vocavit*, inquit Scriptura, (a) *Jacob filios suos, & ait eis: congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis* . . . Ad Judam cum pervenisset, ita eum allocutus est: *Juda te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, ad prædam filii mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem o fili mi asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Ex hoc oraculo & signanter ex illis verbis: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*, contendunt Christiani contra Judæos ostendi jam advenisse Messiam.

Ut autem & ipse id ostendam, exponam 1. quomodo hoc oraculum explicent: 2. quomodo illud explicent Judæi: 3. quomodo ex illo probetur adventus Messiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Conveniunt communissime Christiani in hoc, quod oraculum connotet adventum Messiæ, sed in ex-

(a) *Gen.* 49.

explicando ejusdem oraculi sensu inter se dividuntur. Alii in primis volunt per duas illius partes unum & idem importari, scilicet durationem sceptri in populo Judaico usque ad adventum Messiæ. Observant siquidem esse usitatum in Scripturis, ut res eadem sub diversis phrasibus exprimatur, ut cum dicitur (a): *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus . . . Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis* (b): *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit* (c): *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me: Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei &c.* Alii e contra duo distincta volunt per oraculum importari. Hæc diversitas sententiarum est, ut patet, parvi momenti, cum in substantia sensus oraculi omnes conveniant. Divisi sunt quoque Christiani in assignando subjecto, de quo continuationem sceptri usque ad Messiam prædicit Jacob; alii enim volunt illud esse totum populum Israeliticum, alii solam Tribum Judæ. Priores contendunt hunc esse sensum oraculi: *In populo Hebraico non deficiet sceptrum & dux, usque dum veniat Messias*. Posteriores ita illud explicant: *non deficiet in tribu Judæ sceptrum & dux usque dum veniat Messias*. Posteriorem magis placet sententia, cum qua sit.

Assertio. *Probabilius oraculum Jacobæum ad solam Judæ tribum est referendum*.

Prob. ex Scripturis. Ibi narratur benedictiones singulis filiis Jacob ab eodem proprias datas fuisse; etenim post recitata verba Jacob dicitur (d): *Omnes hi in tribubus Israel duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis benedictionibus propriis*. Ergo benedictio, quæ in oraculo adducto continetur, propria fuit solius Ju-

(a) *Deut.* 32. (b) 1. *Reg.* 2.
(c) *Psal.* 50. & 53. (d) *Gen.* 49.

Judæ, ejusque tribus. Et sane quæ de aliis filiis Jacob prædicit, ad singulos ita diriguntur, ut quod dicitur de uno, ad alios non possit transferri. Quare ergo quæ de Juda prædicuntur, non ad illum solum & ad solos descendentes ab ipso, sed ad reliquum etiam populum Israeliticum debebunt transferri? Rursus quæ immediate præcedunt, ad solum Judam referuntur, sicuti etiam quæ immediate subsequntur, quatenus vel aptantur soli Judæ tribui, vel, quod probabilius est, Messiæ orituro ex tribu Juda, certe non ad alias tribus referuntur. Cur ergo non referetur ad solum Judam ipsum oraculum? Ergo &c

Obj. ex Scripturis. Hæc expositio non cohæret cum veritate historiæ sacræ. Primo enim qui post egressum Israelitarum ex Ægypto ipsis præfuerunt, Moyses & Josue non fuerunt ex tribu Juda, cum ille fuerit ex tribu Levi, hic ex tribu Ephraim. Postea ex Judicibus, quorum subsecuta est dominatio, duo tantum fuerunt ex tribu Juda Othoniel, & Abesan, reliqui omnes ex aliis tribubus. Mutato regimine populi in regnum, primus Rex fuit Saul ex tribu Beniamin: post illum regnarunt super universum populum David, & Salomon, qui fuerunt ex tribu Juda, & deinde ipsius Davidis posteri usque ad Sedeciam; sed præter Davidem & Salomonem, qui, ut dixi, regnarunt super universum Israel, alii super tribus Judæ & Beniamin tantum regnarunt, regnantibus interim super alias tribus aliis Regibus ex Juda non oriundis. Extincto regno Judaico in Jechonia & Sedecia translatus est populus in Babylonem captivus, & post 70. annos a captivitate dimissus: tunc autem gubernium non reassumpserunt descendentes ex Juda, sed summa rerum potiti sunt per 500. & amplius annos ad Christum usque Summi Sacerdotes ex Levi descendentes, inter quos celebriores fuerunt Machabæi. E contra referendo oraculum ad totam gentem Judæorum stat veritas historiæ; facile enim ostenditur aliquem ex populo Judaico semper regnasse usque ad tempo-

ra Christi, quibus per Romanos fuit ad regnum Judaicum evectus alienigena, idest Herodes. Ergo &c.

℟. Stare optime cum veritate historiæ etiam assertionem nostram. Quod ut ostendam, simulque objectioni occurram, suppono esse duo diversa sceptrum & ducem, quæ in oraculo prænunciantur duratura usque ad Messiam (loquor nunc in hac hypothesi supponente duo diversa in oraculo enunciari; nam in hac operosior est responsio, & si valebunt quæ in hac hypothesi afferentur, patebit facilius posse responderi in altera hypothesi statuente unam & eandem rem per illud importari). Has autem duas oraculi partes præstat singillatim examinare, atque ostendere eas cum veritate historiæ cohærere. Incipio a prima.

Nomen hebraicum *schevet* seu *scevet*, quod vulgatus interpres vertit *sceptrum*, duplicem habet significationem. Primo enim significat *virgam*, quæ jure explicatur ab eodem interprete pro sceptro, seu pro virga dominationis & principatus; favent enim huic explicationi aliæ celeberrimæ editiones & versiones Scripturæ. Nam præter textum hebraicum, qui, ut vertit Walton, ita habet: *Non recedet virga ex Juda, & legislator de interpedes ejus, usquequo veniat Siloh, & obedientia populorum*, vel ut vertit Pagninus: *Non recedet virga ex Juda, & legislator de interpedes ejus, donec veniat Messias, & erit illi aggregatio populorum*, virga autem dominationem & principatum significat; Septuaginta insuper ita vertunt: *Non deficiet Princeps ex Juda & dux de femoribus ejus, donec veniant quæ reposita sunt ei, & ipse est expectatio gentium*: Targum seu paraphrasis Chaldaica vertit: *Non auferetur habens principatum ex domo Juda, neque Scriba a filiis filiorum ejus, donec veniat Messias, cujus est regnum, & ei obedient populi*. Secundo significat tribum vel familiam, & ita adhibetur, cum dicitur (a): *Non habebunt Sacerdotes & Levitæ, &*

(a) *Deut.* 18.

& omnes, qui de eadem tribu sunt, parte & hæreditatem cum reliquo Israel, & alibi (*a*): *Quid tibi melius est, ut sis Sacerdos in domo unius viri, an in una tribu & familia in Israel?* rursus (*b*): *Et tribum Ephraim non elegit:* his enim locis vox *tribus* in hebraico denotatur per *schevet*. Omnes quidem vertunt illud *schevet*, quod est in oraculo, pro *virga*, *sceptro* seu *principatu*; si quis tamen vellet illud sumere pro *tribu* vel *familia*, eundem ac prius sensum oraculum redderet. Quid enim tandem sibi vellet, *non auferetur tribus de Juda*, nisi, *retinebit tribus Juda formam Reipublicæ*, *communitatis*, *principatus*? unde quæ dicam juxta primam interpretationem, valebunt etiam admissa secunda.

Cum igitur Jacob, quando hæc protulit, ea præcipue prædiceret, quæ eventura erant descendentibus filiorum suorum, ut patet ex illis: *Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in novissimis diebus*, patet a Jacobo prædici non defuturum principatum ex descendentibus, idest ex tribu Juda, usque dum veniret Messias.

Principatus autem in aliqua natione vel tribu multipliciter potest haberi: primo ita ut sit in aliqua persona ejusdem nationis, vel ab eadem tribu orta: secundo ut sit in tota natione vel tribu. Tunc autem principatus est in tota natione vel tribu, cum ipsa propriam formam Reipublicæ habet, propriis legibus regitur, & propriis magistratibus vel ab ipsa expresse electis, vel saltem per voluntariam obedientiam & subjectionem confirmatis. Sane hoc etiam modo verificari quod vigeat principatus in aliqua natione, patet ex quo ideo dicimus hunc esse E. G. in Republica Veneta, Genuensi, Lucensi, & similibus, quia propriis legibus & magistratibus reguntur, & gubernantur: quod usque adeo verum est, ut principatus

(a) *Judit.* 18. (b) *Psal.* 77.

tus in natione aliqua perdurare dicatur, etsi ipsa ab aliquo extraneo gubernetur, si tamen & juxta leges ejusdem nationis ab ipso gubernetur, & ipse ad principatum evectus sit dependenter a jure talis nationis eligiendi sibi Principem, adeoque vel sponte ab illa electus sit, vel saltem ad principatum ascenderit illa non reluctante, cum reluctari posset. Ita nullus negabit principatum esse in natione Polonum & Anglorum, quamvis ultimi Poloniæ Reges non fuerint Poloni, sed Saxones, & modernus Angliæ moderator non Anglus, sed Germanus sit, nec ullus negabit sceptrum fuisse apud Romanos, etiam cum imperabant exteri, ut fuit Trajanus oriundus ex Hispaniis, Severus oriundus ex Affrica, aliique similes.

Hoc posito facile ostenditur principatum adeoque sceptrum, *postquam semel capit vigere in tribu Juda*, semper in ea permansisse usque ad Christum; omisso enim quod non permanserit ut explicatur primo modo, permansit tamen ut explicatur secundo.

Dixi *postquam semel capit vigere in tribu Juda*; non enim credendum voluisse Jacob prædicere, tribum Judæ semper absolute habituram sceptrum & principatum, sed solum hæc semel acquisita in illa usque ad Messiam non desitura, quocumque tandem tempore illa acquisierit; Jacob enim non de initio sceptri loquitur, sed de fine. Quod si quæratur quandonam cœperit tribus Judæ habere sceptrum, respondebo tunc cœpisse, cum stabilem Reipublicæ formam assumpsit: hanc autem assumpsit, cum victis Chananæis & finitimis populis terram promissam cœpit proprio jure possidere, quod complete versus tempora postremorum Judicum verisimilius peractum est.

Dixi præterea, *omisso quod non permanserit in tribu Judæ principatus primo modo explicatus*; non enim desunt qui principatum tribus Judæ a David exordientes primo Rege Hebræorum descendente ex Juda contendunt semper ab illo us-

que

que ad Christum aliquos fuisse Principes ex Juda descendentes: quod ut salvent etiam relate ad Machabæos, qui fuerunt de tribu Levi, asserunt ipsos a Juda per fœminas descendisse, de qua re aliquid infra dicam. Huic autem sententiæ nolo nunc adhærere; quamvis enim illam fatear probabilem, expeditiorem tamen censeo alteram, quæ permanentiam sceptri in tribu Judæ explicat secundo modo.

Quod ergo sceptrum hoc secundo modo explicatum semper permanserit in tribu Judæ usque ad Christum, ostenditur tria tempora distinguendo, in quæ dividi potest spatium, quod a sceptri acquisitione fluxit usque ad Christum: scilicet primo ab acquisitione sceptri usque ad captivitatem Babylonicam: secundo tempus ipsius captivitatis: tertio a captivitate hac usque ad Christum.

Si de priore agatur, nulla potest esse difficultas: sive enim consideretur ipsa tribus ab inita possessione terræ Chanaan usque ad Salomonem, quando cum reliquis tribubus populum unum & indivisum constituebat, sive consideretur tempore successorum Regum a Davide descendentium, cum jam tribus Juda ab aliis separata erat, & particulare regnum constituebat, semper in illa mansit Reipublicæ forma, semper suis legibus usa est, & a suis Principibus gubernata, quorum plerosque expresse elegit, alios si non expresse elegit, per voluntariam tamen obedientiam & subjectionem confirmavit.

Si de tempore captivitatis Babylonicæ sermo sit, forma hæc Reipublicæ licet non sicut antea florens, adhuc durabat; primo enim etiam in captivitate agnoscebatur ut Rex Joachim & ipse captivus, quem anno 37. transmigrationis Rex Babylonis Evilmerodach de carcere eduxit (*a*), *& posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erant*

(a) 4. *Reg. ultim.*

erant cum eo in Babylone. Deinde etiam tunc fuisse duces populi & magistratus ad formam Reipublicæ requisitos constat ex quo post edictum Cyri solventis captivitatem narratur (*a*) *surrexisse Principes patrum de Juda, & Beniamin &c.* constat pariter ex historia Susannæ (*b*), ubi dicitur illo anno, quo contingit factum Susannæ, fuisse constitutos Judices populi Judaici senes, illos, qui Susannæ pudicitiæ insidiati sunt, quos habuisse potestatem vitæ & necis patet ex quo eandem ad mortem damnarunt; dictio autem *illo anno* ostendit fuisse usitatum, ut Judices quotannis eligerentur. Cum ergo hoc evenerit tempore captivitatis Babylonicæ, patet Judæos etsi in captivitate positos formam propriam Reipublicæ retinuisse.

Tandem si tribum Juda consideremus post eandem captivitatem, multo magis viguit hæc Reipublicæ forma; ad patrias enim regiones reversa hac tribu, res juxta leges pristinas sunt ordinatæ, & ordinati magistratus. Populo primo presedit Zorobabel ex eadem tribu & regio sanguine David genitus, deinde Nehemias, postea Sacerdotes, ex quibus prodierunt Machabæi, quos expressa Judæorum voluntate ad gubernium fuisse assumptos narrat Scriptura, ex qua etiam colligitur in negotiis magni momenti ad gubernium pertinentibus extraneos Principes cum populo & Senatu Judæorum subinde tunc egisse, ut constat ex libris Machabæorum, & signanter ex epistolis ad illos directis a Romanis, Spartiatis, Antiocho, Lisia, & Lucio, indicio in eodem populo & Senatu tunc etiam permansisse supremam gubernii potestatem.

Hæc autem Reipublicæ forma, quam usque adhuc retinuerat tribus Juda, quamvis non semper,

(a) 1. *Esdr.* 1. (b) *Dan.* 13

per, ut patet, æque florentem, versus tempora Christi languescere cœpit, & tandem mortuo Christo omnino sublata est. Languescere cœpit, cum Romani Regem crearunt Herodem. Hic scilicet primus fuit Rex ab exteris nationibus creatus contra voluntatem Judæorum. Refert siquidem Josephus Herodem fuisse primo constitutum Tetrarcham Judææ a M. Antonio, & postea a Senatu Romano studio præsertim ejusdem M. Antonii & Cæsaris declaratum Judææ Regem, & ab ipso armis Judæam subactam fuisse, ac captam Jerusalem resistentibus sibi Judæis, qui stabant pro Antigono ultimo ex Assamonæis. Quamvis autem postea aliquatenus Herodes sibi conciliasset Judæorum animos, cum tempore famis propriam etiam suppellectilem vendidit ad emendum frumentum, etiam ipsis remisit tertiam tributorum partem, nunquam tamen potuit illos omnino placare, imo cum ab eis juramentum fidelitatis exigeret, minor quidem multitudinis pars metu adacta cessit, sed major & sanior pars nunquam adduci potuit, ut juraret.

Ita perturbata remansit Reipublicæ Judaicæ facies tempore filiorum Herodis, immo tunc crevit perturbatio; nam evecto a Romanis ad thronum Judææ Archelao filio Herodis, ac paulo post deposito, Judæa fuit ab ipsis ad formam provinciæ redacta, misso cum potestate suprema vitæ & necis Præfecto, ut aliis provinciis Romani imperii fieri consueverat. Horum Præfectorum gubernio pertæsi Judæi sæpe seditiones moverunt, quæ a Romanis multis ipsorum Judæorum cladibus sunt repressæ. Sed tandem jugum Romanorum hi excutientes, ipsorum in se iram ita concitarunt, ut Vespasianus missus ab iisdem fuerit ad civitatem Jerusalem obsidendam, quam postea Titus ejus filius 40. circiter annis post mortem Christi cæpit & diruit incenso templo, & pluribus centenis Judæorum millibus occisis.

Tunc complete desiit forma Reipublicæ Judæorum; qui enim superfuerunt in varias orbis

par-

partes dispersi sunt, nec unquam amplius ipsis datum est in unum congregari ad propriam Rempublicam instaurandam. In hoc miserrimo statu jam a mille & septingentis annis ipsi jacent ubique extorres, & omnibus nationibus exosi, funesta nimirum experientia comprobantes, nec tamen agnoscere volentes amissionem sceptri, cujus possessionem usque ad Messiam ipsis pollicitus erat Jacob ipsorum pater. Sed

Instabis. I. sceptrum explicatum ut supra non fuit peculiare in tribu Juda, sed ad alias etiam tribus est extendendum; nam eandem Reipublicæ formam, quam habuit tribus Judæ, habuerunt etiam reliquæ tribus usque ad captivitatem Assiriacam; & hæ enim usque ad illud tempus propriis legibus & magistratibus, non secus ac tribus Juda, sunt gubernatæ. Quod si etiam tempore captivitatis Babilonicæ dicimus viguisse in tribu Juda Reipublicæ formam, cur non poterit dici eam viguisse etiam tempore captivitatis Assiriacæ in aliis tribubus? Cum autem soluta est captivitas Babilonica, nedum tribui Judæ, sed etiam omnibus aliis concessa est facultas ad patrias terras redeundi, Si igitur rediit tribus Juda, aliæ quoque tribus redierunt, & quæ Reipublicæ forma instaurata est in tribu Juda, in aliis quoque est instaurata. Quod si etiam de aliis id non posset ostendi, facile tamen ostenditur de tribubus Beniamin & Levi, quæ semper tribui Judæ adhæserunt, & unum semper cum illa corpus constituerunt.

II. ad salvandam permanentiam sceptri in tribu Juda, ut supra explicata est, requirebatur, ut in ipsius tribus potesatate esset eligere sibi Principes suos. At hanc potestatem non habuit tribus Juda; nam plures Principes ejusdem tribus vel Dei electione, vel hæreditaria successione, vel etiam ab extraneis Principibus regimen obtinuerunt. Et quidem de electione divina id constat ex quo dixerit Dominus: (a) *Cum ingressus*

(a) *Deut.* 17.

sus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam habitaverisque in illa, & dixeris constituam super me Regem, sicuti habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus. Et de facto primos Reges Saulem & Davidem Deus ipse expresse elegit. Post hos voluit Deus, ut regnarent posteri ipsius Davidis, ut constat ex illo: (*a*) *Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam: si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hac, quæ docebo eos, & filii eorum usque in sæculum sedebunt super sedem tuam*. De hæreditaria successione constat ex verbis novissime allatis, quibus denotatur Deum voluisse, ut regnum in posteros David tanquam hæreditas transiret. De electione vero facta per Reges extraneos constat ex quo (*b*) Pharao Nechao Rex Ægypti deposuit Joachaz Regem Juda, illique substituit Eliacimum, & Nabuchodonosor (*c*) deposuit Joachim Regem Juda, cui substituit Sedeciam & Joachimum, ut supra dixi, depositum denuo Regem constituit Evilmerodach Rex Babilonis. Imo ipse quoque Zorobabel primus Judaicæ gentis dux post captivitatem videtur a Cyro Rege Persarum ad regimen assumptus.

III. forma Reipublicæ, in qua constitutum est sceptrum, sin minus alias, saltem tempore Antiochi illustris (*d*) ablata est; tunc enim nedum subacti sunt Judæi, sed coacti deserere patrias leges, & moribus Gentilium se accomodare. Si ergo subsisteret allata expositio, tunc debuisset venire Christus. Non venit tunc. Ergo expositio non subsistit.

(a) *Psal.* 131. (b) 4. *Reg.* 23.
(c) *Ibid.* 24. (d) 1. *Mac.* 1.

IV. si tempore Antiochi non fuit ablatum a Juda sceptrum, ut supra explicatur, nec debet dici ablatum tempore Christi, sed solum in excidio Jerosolymitano, adeoque pluribus annis post mortem Christi. Hoc non; nam tunc solum debuisset venire Christus. Ergo &c.

Ad I. ℟. alias tribus a tribu Juda (exceptis tribubus Levi & Beniamin, de quibus infra) vel non retinuisse usque ad Christum formam Reipublicæ, vel illam non retinuisse sufficienter ad verificandum sceptrum. Quamvis enim aliæ tribus usque ad captivitatem Assyriacam eandem retinuerint formam Reipublicæ, ac tribus Juda, ab eo tamen tempore & deinceps vel nullo modo retinuerunt, vel non retinuerunt sufficienter ad verificandum, quod possederint sceptrum; primo enim de tempore, quod ab initio captivitatis illarum intercessit usque ad solutionem captivitatis Babylonicæ, nullo modo vel ex Scripturis, vel ex aliis antiquis Scriptoribus constat talem formam in ipsis viguisse, ut ex supra dictis constat de tribu Juda: soluta vero captivitate Babylonica decem tribus ad patrias terras vel non sunt reversæ, (ut communius docent Historici sacri nixi præsertim auctoritati Josephi id testantis (a) & S. Hieronymi, qui in illud: (b) *Voca nomen ejus absque misericordia, quia nequaquam addam ultra misereri domui Israel* inquit: *Et consideranda domini indignatio, quod nequaquam domui Israel idest decem tribubus se dicat misereri ultra, sed eos de memoria sua æterna oblivione delere, quia usque hodie Persarum Regibus serviunt, & nunquam est eorum soluta captivitas*) & sic non apparet restitutam fuisse illarum Rempublicam: vel si reversæ sunt (ut conten-

(a) *Lib.* 10. *antiq. cap.* 5.
(b) *Osæ.* 1.

tendit Calmet) non tamen refloruit in eis Reipublicæ forma, nisi quatenus aggregatæ &, ut sic dicam, insitæ erant tribui Judæ, quæ sola tunc considerabatur, adeo ut soluta captivitate Babylonica Hebræi omnes, qui Palæstinam incoluerunt, peculiariter Judæi fuerint appellati. Non ergo in illis, sed in sola tribu Juda permansit sceptrum.

Tribus porro Levi & Beniamin, quamvis semper adhæserint tribui Juda, atque eandem semper cum illa conditionem sortitæ sint, & ipsæ tamen non habuerunt formam Reipublicæ, nisi quatenus tribui Judæ adhærebant, & considerabantur ut contribules descendentium ex Juda. Cujus rei argumentum est quod, licet essent plures tribus, sæpe tamen in Scripturis sub nomine unius tribus Judæ comprehendebantur: ita Deus alloquens Jeroboamum inquit (*a*): *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus: porro una tribus remanebit ei*, idest domui David: & infra: *Auferam regnum de manu filii ejus, & dabo tibi decem tribus, filio autem ejus dabo tribum unam*; cum tamen non sola tribus Juda, sed etiam tribus Beniamin, & saltem ex parte tribus Levi remansuræ essent addictæ posteris David, idcirco etiam dicitur de eodem Jeroboamo (*b*): *Constituerunt eum Regem super omnem Israel, nec sequutus est quisquam domum David præter tribum Judæ solum:* & alibi: (*c*) *Iratusque est Dominus vehementer Israeli, & abstulit eos a conspectu suo, & non remansit nisi tribus Juda tantummodo*. Sola ergo tribus Juda, vel saltem ipsa modo peculiari habuit sceptrum usque ad adventum Christi.

(a) 3. *Reg.* 11. (b) *Cap. sequent.*
(c) 4. *Reg.* 17.

Ad II. ℟. tribum Juda semper usque ad Christum jus retinuisse eligendi Principes suos, quod jus non læsit aut electio Dei, aut hereditaria successio, aut ipsorum deputatio facta per extraneos Principes; in his enim casibus populus Judaicus vel illos expresse eligebat, ut factum est de Saule & Davide jam antecedenter a Deo in Reges designatis, vel saltem per voluntariam obedientiam illos confirmabat, ut factum est de illis præcipue, qui per hereditariam successionem, vel per externorum Principum deputationem regnum susceperunt.

Ad III. ℟. nec tunc ablatam fuisse penitus a Judæis Reipublicæ formam: quamvis enim nimis ipsi fuerint vexati, in propriæ tamen regionis possessione sunt retenti, duravit propria gubernii forma, nec obtinuit impius Rex, ut Judæi omnes patrias leges desererent; multi enim ex illis armis restiterunt, ut Mathathias & filii Machabæi, qui etiam collabentem Judæorum Rempublicam restaurarunt, multi potius exquisitis tormentis cruciari elegerunt, quam patrias leges deserere, ut legitur in libris Machabeorum. Conabatur ergo Antiochus tunc auferre formam Reipublicæ Judaicæ, sed revera non abstulit, sicuti nec abstulerunt Ecclesiam Tyranni, qui sævissimas in illam excitarunt persecutiones, ut auferrent. Quod si referentibus oraculum ad totum populum Israeliticum durum videtur, quod sceptrum juxta nostram explicationem acceptum tunc permanserit, rogandi sunt, ut assignent modum, quo tunc permanserit sceptrum explicatum ut ipsi explicant.

Ad IV. ℟. per oraculum Jacobæum non denotari punctum temporis, ut sic dicam, mathematicum, quo deberet deficere sceptrum, & statim apparere Messias; sed denotari, quod non erat complete auferendum hoc sceptrum a Juda, nisi cum advenisset Messias, etsi postea ista ablatio non tota simul, sed pedetentim esset facienda. Ergo &c.

Usque

Usque adhuc ostensum est cum veritate historiæ congruere primam partem oraculi Jacobæi intellectam de sola tribu Juda. Id modo est ostendendum de altera, circa quam varia adducuntur ab Auctoribus nostræ sententiæ.

I. Aliqui dicunt hanc partem oraculi non esse absolutam, sed conditionatam; promittitur enim, inquiunt hi, non defuturum ducem de tribu Juda usque ad Christum, si tamen peccata posterorum Judæ non impediant. Nil ergo mirum, inquiunt, si duces de facto ante talem adventum defecerint, quia obstarunt peccata. Si autem dicas nullum reperiri conditionis vestigium in oraculo Jacobæo, respondent conditionem ibidem non esse expressam, sed tacitam; hæc enim promissio erat implenda in Davide & posteris ejus, quibus erat promissa duratio sceptri tantum conditionate. Et sane talis conditio videtur expressa tum loco supra recitato: *Juravit Dominus &c.* tum illo, ubi David inquit (*a*): *Sed & de filiis meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonem filium meum, ut sederet in throno regni Domini super Israel, dixitque mihi: Salomon filius tuus ædificabit domum meam &c., & firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea:* rursus illo, ubi David morti proximus sic locutus est Salomoni (*b*): *Ut confirmet Dominus sermones suos, quos locutus est de me dicens: si custodierint filii tui vias suas, & ambulaverint coram me in veritate, in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel*: tandem oratione Salomonis (*c*): *Nunc igitur Domine Deus Israel conserva famulo tuo David patri meo quæ locutus es ei dicens: non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum*

(a) 1. *Paralipom. cap.* 28.
(b) 3. *Reg.* 2. (c) 3. *Reg.* 8.

Israel, ita tamen si custodierint filii tui viam suam, ut ambulent coram me, sicut tu ambulasti in conspectu meo. Nec desunt, inquiunt hi, in Scripturis exempla locutionum, quæ absolute sunt prolatæ, & tamen sunt conditionatæ, qualis est promissio facta Phinees, ut ipsius descendentes semper possiderent Sacerdotium; dicitur enim (a): *Erit tam ipsi, quam semini ejus pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israel:* quæ tamen promissio licet materialiter absoluta, debet dici conditionata, scilicet supposito quod posteri Phinees se indignos Sacerdotio non reddidissent, quæ conditio cum non fuerit impleta, aliquando sacerdotio privati sunt: & comminatio facta a Jona (b): *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, quæ quidem absoluto modo est prolata, quamvis conditionem involveret: *si Ninivitæ pœnitentiam non egerint.* Hæc expositio suam habet probabilitatem.

II. Dicunt alii ducem ex descendentibus a Juda revera usque ad Christum perseverasse, & quoniam difficultas est præcipue circa Principes, qui populum gubernarunt post captivitatem babylonicam, hi enim, cum fuerint ut plurimum summi Sacerdotes, ex Levi descendebant; docent hos per fœminas descendisse ex Juda. Nam inquiunt, Aaron (c) uxorem duxit Elisabeth filiam Aminadab, qui descendebat ex Juda, & ex ea genuit Eleazarum, & Ithamar, ex quibus summi Sacerdotes deinceps prodierunt. Quamvis autem Mathathias Machabæorum pater summus Sacerdos non fuerit, ut cummunius traditur, & ipse tamen descendebat ab illa Elisabeth uxore Aaron; nam descendebat a Phinees (ut ipse testa-

(a) *Num.* 25. (b) *Jon.* 3.
(c) *Exod.* 6.

statur) (*a*) qui fuit filius Eleazari immediati filii Aaron & Elisabeth. Porro etsi inter summos Sacerdotes fuerint Menelaus & Lisimacus, qui erant de tribu Beniamin (*b*), dicunt hos non esse computandos, cum essent Sacerdotes illegitimi, nec illorum electio per vim facta potuerit lædere jus, quod habebant ad Sacerdotium descendentes ex Aaron, unde dicunt tunc permansisse duces ex alia familia (adeoque etiam ex Juda descendentes modo explicato) si non de facto, saltem de jure. Hoc modo semper assignant duces ex Juda descendentes usque ad Christum.

Si vero objiciatur, quod fœminarum in familiis computandis nullà apud Hebræos ratio habebatur, & proinde quod non poterant dici Sacerdotes de tribu Juda, ex quo descendebant a fœmina de tribu Juda: & quod ex hac sententia sequeretur aliquos de tribu Juda altari ministrasse contra Apostolum, qui loquens de Sacerdotio Christi inquit (*c*): *In quo enim hæc dicuntur de alia tribu est, de qua nullus altari præsto fuit; manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est*: & tandem quod sequeretur aliquem post Jechoniam fuisse Principem de tribu Juda, contra Hieremiam de Jechonia dicentem (*d*): *Hæc dicit Dominus: scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Si inquam hæc objiciantur.

Respondent ex iis tantum inferri summos Sacerdotes non potuisse dici de tribu Juda, ad quod re-

---

(a) 1. *Mach.* 2. (b) 2. *Mach.* 4.
(c) *Heb.* 7. (d) *Jerem.* 22.

requirebatur, ut ab illo descenderent per viros: at potuisse imo debuisse dici de *fœmore* Judæ, etsi per fœminas tantum ab illo descendissent; descendebant enim semper per carnalem generationem, quæ importatur per illud de *fœmore*. Advertunt insuper ex Jeremia non probari nullum amplius futurum Principem ex tribu Juda, sed solum non futurum ex filiis Jechoniæ. Et hæc quoque sententia suam habet probabilitatem.

III. Dicunt alii usque ad Christum perseverasse ducem ex descendentibus Judæ, quia perseveravit Synedrium, sive collegium seniorum tempore Moysis primo institutum, (*d*) cujus caput erat Princeps ex tribu Juda, & post Davidem ex domo David. Ita cum plerisque P. Berti. Hic distinguit Synagogam a Synedrio, illique dicit præfuisse summum Sacerdotem, huic Principem de domo Juda. Hoc probat auctoritate Rabbinorum, quibus etsi regulariter parum fidendum sit, dicit tamen fidendum in hac re, cum non sit verisimile eos mentituros in proprium damnum. Cum ergo duraverit Synedrium usque ad Herodem, vel etiam usque ad eversionem Jerusalem per Titum factam, consequenter duravit usque ad illud tempus ipsius caput, adeoque dux de fœmore Judæ. Et hæc quoque sententia probabilis est.

Quarta expositio deducitur ex Petavio docente probabiliter per ducem intelligi ecclesiasticam potestatem, (ut per sceptrum ipse intelligit potestatem civilem) quam vult non fuisse prænunciatam duraturam in posteris Judæ, ita ut descendentes carnaliter ex Juda hac pollere deberent, sed quod pollentes hac potestate semper adhærere deberent tribui Juda. Juxta hanc ergo explicationem hæc propositio: *non auferetur*

(a) *Num.* 11.

tur dux de fœmore Judæ non significat: *semper erunt duces, qui sint descendentes ex Juda*, sed: *duces semper erunt conjuncti cum descendentibus ex Juda*.

Hanc explicationem his momentis probat Petavius. Primo qui in latina versione dicitur *dux*, juxta Hebræum & Arabicum textum dicitur *legislator*, juxta Onchelosum dicitur *Scriba*, juxta interpretem Syrum dicitur *expositor*, quæ omnia optime conveniunt supremo judici in causis ecclesiasticis, cujus est & leges ferre pro foro ecclesiastico, & leges divinas exponere & declarare. Ulterius illud *de fœmore* in textu Hebræo & Siro ita exprimitur *de interpedes ejus*, apud Onchelosum *de filiis filiorum ejus*, in textu Arabico *de subimperio ejus*, & in textu Samaritano *de vexillis ejus*. Hæc autem omnia exprimunt ducem hunc semper adhæsurum tribui Judæ, nec unquam ab illius, ut sic dicam, latere avellendum. Quod optime, inquit Petavius, congruit cum metaphora, sub qua Jacob filium suum alloquitur; illum enim comparat leoni: leo autem prædam semel acquisitam fortiter retinet, nec de ungibus sibi eripi patitur.

Hoc posito secundam partem oraculi Jacobæi cum veritate historiæ ipse conciliat. Usque ad eversionem Hierusalem nunquam sacerdotium avulsum est a Juda, cum semper tribui Judæ adhæserit tribus Levi, in qua erat sacerdotium: nunquam proinde a tribu Juda avulsus est summus Sacerdos, apud quem potestas ecclesiastica residebat. Sane hoc fuisse munus summi Sacerdotis, ut esset judex in causis ecclesiasticis, docet Josephus inquiens: (a): *Pontifex ante alios Sacerdotes Deo sacrificat, leges custodit, dijudicat controversias, convictos delicti punit, cui qui non obedit, is pœ-*

D 5 *nas*

(a) *Lib. 2. cont. Appion. n.* 23.

nas luit tanquam in Deum impius, & colligitur ex regula tradita in Scripturis pro casu, quo variæ fuerint inferiorum judicum sententiæ; dicitur enim (*a*): *Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quaresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur.*

Ex his expositionibus sume quæ magis arridet, & habebis solutam difficultatem. Ubi addo aliquos etiam notare quod, cum propositionis illius: *non auferetur sceptrum & dux usque ad Messiam* non sit sensus utrumque duraturum usque ad Messiam, sed solum non defuturum utrumque, seu, quod idem est, alterutrum semper futurum, ad quod salvandum sufficit, si unum ex illis semper adfuerit, statim ac probatum est semper fuisse sceptrum in tribu Juda usque ad Messiam, etsi postea non semper fuisset dux, nihil referret.

ARTICULUS SECUNDUS.

Varias Judæi assignant interpretationes Oraculo Jacobæo. Alii contendunt illud non esse intelligendum de Messia: alii concedunt quidem illud de Messia esse intelligendum, sed diverso modo illud explicant, ac Christiani.

Qui primam ineunt viam, ita procedunt. I. Hebraica vox *Siloh*, quam latinus Interpres vertit *qui mittendus est*, intelligi potest de urbe Siloh

---

(a) *Deut.* 17.

loh, quo posito hunc oraculo sensum affingunt: *dignitas & præstantia tribus Juda in regnum mutabitur, cum urbs Siloh desinet esse sedes arcæ*, quod dicunt adimpletum, cum David fuit Rex inauguratus: *vel auferetur dignitas regia a Juda, cum ungetur alius Rex in Siloh*, quod factum dicunt, cum Saul de tribu Beniamin fuit creatus Rex, aut saltem cum fuit creatus Rex Jeroboam super decem tribus, quæ avulsæ sunt a Domo David: *vel auferetur dignitas regia a Juda, cum veniet vir de Siloh*, quod factum dicunt, cum auspicatus fuit regnum Jeroboamus; tunc enim venit Propheta Ahias Silonites, qui per scissionem pallii prædixit divisionem decem tribuum a tribu Juda.

II. Etsi per vocem *Siloh* intelligatur *qui mittendus est*, hic tamen potest esse Moyses, qui fuit expectatus ab Israelitis, ut eos a captivitate ægyptiaca liberaret: possunt etiam esse externi Reges missi a Deo ad Judæorum scelera punienda, ut fuit Nabuchodonosor, Cyrus, Pompejus, Vespasianus &c.

III. Oraculum Jacobæum loquitur de eo, quod eventurum erat in novissimis diebus. Ergo non de Messia, qui non in novissimis diebus, sed juxta Habacuc (*a*) *in medio annorum* debebat venire. Ergo &c. Sed

Contra I. vox *Siloh* nequit intelligi nisi de Messia primo ob auctoritatem omnium antiquarum versionum antiquorumque Rabbinorum, qui illam interpretantur de Messia; vel enim illam interpretantur *mittendus*: & quinam antonomastice potest dici *mittendus*, nisi Messias, de quo dicitur (*b*): *Mitte quem missurus es*, & de quo discipuli Joannis dixerunt (*c*): *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* vel interpretantur

(a) *Habac.* 3. (b) *Exod.* 4.
(c) *Matt.* 11.

tur *quæ ipsi reposita sunt*, *vel quod repositum est ei*: & hoc pariter, cum denotet benedictionem maximam præparatam Abrahamo, Jacobo, & Judæ, denotat Messiam, qui est hujusmodi benedictio, utpote ex ipsis nasciturus, vel interpretantur *cui repositum est*, & cum hoc denotet illum, cui antonomastice dicitur præparatum regnum, nullum alium potest demonstrare nisi Messiam, de quo dicitur (*a*): *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum:* & alibi (*b*): *Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis*: rursus (*c*): *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur*: vel interpretantur *pacificus*, quo nomine antonomastice sumpto, quis alius venire potest nisi Messias, de quo dicitur (*d*): *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis, donec auferatur luna*: (*e*) & alibi *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*: & expressius (*f*): *Erit iste pax*. Præterea de illo, qui *Siloh* nuncupatur, dicitur in oraculo, quod *erit expectatio gentium*, vel quod *ad illum congregabuntur populi*, vel *quod ipsi obedient populi*. Cui nam autem hi caracteres conveniunt nisi Messiæ, de quo dicitur (*g*) in illo *sunt benedicendæ omnes nationes terræ*: & alibi: (*h*) *Omnes gentes servient ei*: (*i*) *Ipsum gentes deprecabuntur*: (*l*) *Fluent ad eum populi*: (*m*) *Veniet desideratus cunctis gentibus*?

Nec

(a) *Psalm.* 71. (b) *Isa.* 9.
(c) *Dan.* 7. (d) *Psalm.* 71.
(e) *Isa.* 9. (f) *Mich.* 5.
(g) *Gen.* 18. (h) *Psal.* 71.
(i) *Isa.* 11. (l) *Mich.* 4.
(m) *Agg.* 2.

Nec sane per vocem *Siloh* potest venire urbs *Siloh*, tum quia ipsi non convenit, quod sit expectatio gentium, vel quod ad illam congregandæ sint gentes, tum quia nulla subsistit ex supra adductis ab Hebræis vocis hujus explicationibus. Non prima; nam oraculum loquitur de ablatione seu defectione sceptri, ea vero loquitur de illius adeptione (ut interim omittam Davidem non fuisse unctum in Regem, cum arca sublata de Siloh; tunc enim nondum fuerat unctus in Regem Saul). Non secunda; nam nec Saul, nec Jeroboam fuerunt uncti Reges in Siloh, sed prior in Ramathaim Sophim, alter in Sichem. Præterea si nomine *sceptri* veniat gubernium monarchicum, falsum est illud fuisse ablatum tribui Judæ in electione vel Saulis, vel Jeroboami; nam ante electionem Saulis nullo modo fuerat collatum eidem tribui: post electionem autem Jeroboam remansit in posteris David. Quod si nomine *sceptri* veniat forma Reipublicæ juxta sententiam supra propugnatam, falsum est hanc dignitatem fuisse per electionem vel Saulis vel Jeroboami ereptam a tribu Juda, ut supra ostensum est. Ex his patet nec subsistere tertiam explicationem.

Contra II. per illum, *qui mittendus est*, nullus ex adductis venire potest, non Moyses, cum nullum ante ipsum sceptrum aut ducem habuerit tribus Juda, sed potius fuerit durissima servitute oppressa ab Ægyptiis: præterquamquod Moyses nequit dici *expectatio gentium*, saltem ut explicatur in aliis versionibus indicantibus illi, qui erit expectatio gentium, præstandam obedientiam a cunctis populis & gentibus, Nec etiam possunt venire alii Reges Gentiles, qui populum Judaicum oppresserunt; nam nullus ex illis potest dici expectatio gentium, ut supra explicatum est. Adde quod ipsorum tempore (si Vespasianum excipias) sceptrum non est ablatum a Juda, ut supra probavi.

Contra III. per novissimos dies juxta phrasim scripturalem multoties intelligitur tempus remo-

remotum etsi non ultimum. Et sane tempus ultimum non necessario denotari hoc Oraculo patet ex quo Jacob, qui dixit se filiis suis prædicturum quæ eventura erant in novissimis diebus, multa alia eisdem prædixit eventura (ut de facto evenerunt) cum Hebræi possidebant terram promissam Ergo a pari &c.

Qui vero secundam ineunt viam ita procedunt. I. hebraica vox *Sceveth* (quam nos interpretamur *virgam*, sed *sceptrum*) non denotat virgam dominationis, seu tribulationis. Hujus significationis plura adduci possunt exempla ex Scriptura, & præsertim ex illo (a): *Reges eos in virga ferrea*: & ex alio (b) *Visitabo in virga iniquitates eorum*, ubi illud *virga*, quod in Hebræo exprimitur per *sceveth*, indicat, ut patet, afflictionem. Sensus proinde oraculi est: *Non deficiet tribulatio ex Juda, donec veniat Messias*. Etsi ergo cessaverit sceptrum in Juda, non tamen ex hoc probatur venisse Messiam.

II. Etiam dato, quod per *Sceveth* denotaretur sceptrum, non tamen significaretur sceptrum permansurum in Juda usque ad Messiam; nam particula *donec* non semper significat cessationem, sed etiam aliquando significat continuationem: ita cum dicitur de corvo (c): *Non revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram*, non est sensus corvum siccatis aquis reversum esse, sed nec esse reversum siccatis aquis: & cum dicitur de Josepho (d): *Et non cognoscebat eam* (Mariam), *donec peperit Filium suum primogenitum*, non est juxta Christianos sensus eam tunc fuisse carnaliter cognitam, sed nec fuisse cognitam post partum. Ergo a pari, cum dicitur: *Non auferetur sceptrum &c donec veniat Mes-*

(a) *Psal.* 2. (b) *Psal.* 88.
(c) *Gen.* 8. (d) *Matt.* 1.

Messias, non est sensus, sceptrum adveniente Messia auferendum, sed illud etiam post adventum Messiæ non auferendum a Juda. Cui sensui maxime favet textus Hebraicus, ubi vox, quam vulgatus Interpres vertit *donec*, significat *in æternum postquam*; hoc enim posito sensus manifeste est non auferendum in æternum sceptrum a Juda, postquam venerit Messias.

III. Etiam dato, quod per oraculum denotetur sceptrum permansurum in Juda usque ad Messiam, potest tamen hoc intelligi solum conditionate, scilicet si Judæi propriis peccatis hoc non impediant. Cum igitur hæc conditio purificata non sit, nil mirum si cessaverit sceptrum, & nondum advenerit Messias. Sed

Contra I. ex peritis Hebraici idiomatis vox *Sceveth* significat virgam dominationis, nec detorqueri potest ad significandam afflictionem, nisi adjunctum habeat aliquid, quo ista significatio figatur & determinetur. In Oraculo nihil tale habetur. Ergo &c. Præterea nulla est assignabilis antiqua lectio hujus loci, quæ *Sceveth* interpretetur tribulationem, sed omnes interpretantur principatum & dominationem, ut patet ex supra adductis versionibus, & ex aliis, quæ possent adduci. Rursus vix cohæret adversariorum expositio cum antecedentibus & consequentibus; nam & ante & post verba Oraculi commendatur felicitas & fortitudo tribus Judæ: inverisimile autem est Jacobum tot felicitatis prædictionibus immiscere voluisse prædictiones infortuniorum. Ergo &c.

Contra II. particula *donec* aliquando denotat continuationem, aliquando terminum temporis, quo exacto evenit vel cessat quod ante illud tempus enunciatur non eventurum, aut non cesssaturum. Hoc posteriori modo sumitur, ubi dicitur (*a*): *Isaac . . . ibat proficiens atque succre-*

(a) *Gen.* 26.

crescens, donec magnus .... effectus est : & ubi dicitur (*a*): *Filii Israel crescebant quotidie, & forti manu opprimebant Jabin Regem Chanaan, donec delerent eum*: & tandem ubi dicitur (*b*): *Non ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ*. Illam autem in Oraculo sumi non priori modo, sed posteriori suadetur ex quo erat constans sententia omnium veterum Judæorum per illud Oraculum denotari tempus adventus Messiæ: quod sane non fuisset denotatum, si continuationem sceptri particulæ *donec* designasset; quænam etenim nota temporis habetur in hac propositione: *etiam postquam advenit Messias, non cessabit sceptrum a Juda?* Talem autem fuisse veterum Judæorum sententiam probatur ex Josepho, Svetonio, & Tacito scribentibus id, quod incitavit Judæos ad rebellionem contra Romanos, fuisse vaticinium quoddam, quo prædicebatur futurum, ut eo tempore aliquis de illis orbi imperaret, quod vaticinium non aliud esse poterat, quam Jacobæum.

Sed etsi omitteretur particulam *donec* in casu denotare prætensam continuationem, est tamen concedendum illam denotare durationem sceptri usque ad Messiam, ut E. G. etsi ex hac ditione: *Corvus non revertebatur, donec siccarentur aquæ* non inferatur corvum siccatis aquis esse reversum, infertur tamen non esse reversum, antequam aquæ siccarentur. Cum itaque experientia teste præsenti tempore ablatum sit sceptrum, jam tempus hoc non erit antecedens adventum Messiæ. Ergo consequens. Ergo Messias jam venit.

Perperam autem voci *donec* substituitur *in æternum postquam*: quod tum ex dictis colligitur, tum ex quo nullibi in antiquis versionibus vel

---

(a) *Judic.* 4.
(b) *Levit.* 12.

vel apud antiquos Rabbinos hæc substitutio reperiatur legentibus omnibus *donec*, *usquequo*, *usquedum*, aut alio simili modo.

Contra III. gratis fingitur hæc conditio in oraculo, cum nullum conditionis vestigium habeatur vel in ipso oraculo, vel in aliis locis Scripturæ ad oraculum habentibus relationem: & aliunde si Scripturarum testimoniis absolute prolatis liceret cuilibet pro libito conditiones apponere, nunquam possemus esse tuti de earundem Scripturarum sensu. His adde consensum veterum Judæorum Oraculum, ut supra dixi, absolute intelligentium. Insuper si idem oraculum Judæi vellent conditionate intelligere, cur non etiam possemus conditionate intelligere promissiones factas Abrahamo, Isaac, & Jacob, ut ex semine ipsorum nasceretur Messias? Hoc non etiam per ipsos. Ergo &c.

ARTICULUS TERTIUS.

Exposito jam & vindicato germano Jacobæi oraculi sensu en quomodo ex illo contra Judæos probetur adventus Messiæ.

Per laudatum oraculum non debebat deficere sceptrum ex Juda, & dux de fœmore ejus, nisi venisset Messias. Defecit autem sceptrum de Juda, & dux de fœmore ejus. Ergo Messias venit. Major patet ex verbis oraculi. Minor patet experentia; sive enim oraculum referas ad totum populum Israeliticum, sive ad solam tribum Juda, sive per sceptrum & ducem intelligas Principes sæculares & summos Sacerdotes, sive formam Reipublicæ, sive jus eligendi Principes, sive Synedrium, sive aliud quidvis simile, experientia ostendit sceptrum & ducem esse ablatum, cum videamus miseram Synagogam esse dispersam, distructum Templum, evanuisse a natione Hebraica omnem formam Reipublicæ & Principatus, nullum amplius extare summum Sacerdotem, periisse omnes Hebraicarum familia-

rum

rum genealogias, ita ut nec amplius una tribus ab alia possit discerni, nec Hebræi ex Hebræis aut Hebræi ex alienigenis: verbo dicam: res Hebræorum in summum confusionis chaos jam a multis sæculis sunt redactæ, quæ omnia si non ostendunt ablationem sceptri & ducis a natione Hebraica, actum est de vi demonstrativa experientiæ. Sed

Objiciunt Judæi I. falsum est defecisse sceptrum de tribu Juda; nam R. Beniamin Tudelensis, qui vixit tempore Alexandri III. narrat multa esse Hebræorum millia in Asia ubertate rerum omnium affluentium sub Principe quodam de tribu Juda, quem vocat *Ecmolotharcam*, cujus dignitatem usque ad Messiam duraturam asserit: Tudelensi alii quoque Rabbini consentiunt. Ergo &c.

II. Si ex oraculo Jacobæo probaretur adventus Messiæ, jam Christus, qui se Messiam faciebat, quique tot alia loca Scripturarum ad hoc probandum adduxit, & ejus Apostoli, qui toti erant in hoc ipso confirmando, illud etiam adhibuissent utpote juxta Christianos opportunissimum. Non adhibuerunt. Ergo &c.

Ad I. ℟. hanc Tudelensis narrationem meram esse fabulam. Id agnoverunt & testati sunt alii celeberrimi Rabbini, ut R. Isaac Abrabaniel, R. David Chimchi, R. Bechai, R. David Ganz, & R. Manasse, & omnium disertissime R. Isaac Abrich, aliique videndi apud Huetium (*a*). Præterea ex tot Christianis itinerantibus, qui certe omnes regiones notas Asiæ sunt scrutati, nulli adhuc datum est reperire hoc regnum Judæorum, vel aliquid de illo audire. Ergo &c.

Ad II. ℟. non potuisse tempore Christi, & Apostolorum (saltem si loquamur de tempore, quod

---

(a) *Demonst. Evang. prop. 9.*

quod comprehenditur illorum actis, quæ scripta sunt, quodque antecedit eversionem Jerusalem) adhiberi vaticinium Jacob ad probandum Christum esse Messiam; nondum enim tunc complete ablatum erat sceptrum a tribu Juda, quod juxta idem vaticinium complete auferendum erat solum post adventum Messiæ, & de facto sic ablatum est in excidio Jerosolimitano. Non ergo potuit ante hoc excidium adhiberi talis ablatio ut argumentum adventus Messiæ.

CAPUT SECUNDUM.

Ostenditur Messiam venisse ex vaticinio Danielis.

DAnieli se affligenti & oranti Deum pro populo Judaico tunc captivo in Babylone apparuit Gabriel Archangelus, ac illi ita locutus fuit: (a) *Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo & animadverte. Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursus ædificabitur platea & muri in angustia temporum: & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est: & civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli*

(a) *Daniel.* 9.

li statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consumationem & finem perseverabit desolatio.

Exponam itaque 1. quomodo explicetur a Christianis hæc prophetia: 2. quomodo explicetur a Judæis: 3. quomodo ex illa probetur adventus Messiæ.

ARTICULUS PRIMUS.

Consideranda est primo vox *hebdomada*. Hebdomas idem est ac septimana, quod nomen in Scripturis aliquando accipitur pro 7. diebus, ut cum dicitur (*a*): *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus*, aliquando pro 7. annis; ut cum dicitur (*b*): *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum ... quæ simul faciunt annos* 49. In hac porro prophetia sumitur pro 7. annis; nam si sumeretur pro 7 diebus, 70. septimanæ redderent 490. dies, intra quos tamen ab exitu sermonis ut iterum ædificaretur Jerusalem, de quo infra, computandos, nihil evenit illorum, quæ eventura prædicuntur. Ineptum est autem fingere hebdomades vel mensium, vel decenniorum, vel jubilæorum (jubilæum est spatium 50. annorum) ut fingunt Judæi; nam hebdomadarum sic sumptarum nullum habetur exemplum in Scriptura. Præterea specialiter contra hebdomadas mensium militat ratio supra adducta contra hebdomadas dierum. Contra hebdomadas vero decenniorum aut jubilæorum hæc alia specialiter militat, quod illis nondum expletis evenerint quæ 70. hebdomadibus expletis eventura dicuntur, nimirum destructio & eversio Jerusalem & templi.

Hæ

(a) *Dan.* 10. (b) *Levit.* 25.

Hæ hebdomadæ dicunrur *abbreviatæ*. Vocem hanc varii varie explicant. Petavius vult hebdomades ita dici, quia ex incerto & indefinito tempore ad tempus certum & constitutum prophetico vaticinio contractus erat adventus Messiæ, sive quia ex longiore intervallo, quod ad orbis initio fluxit usque ad Danielem, brevissimum ad ortum Messiæ remanebat ut E. G. in senectute vita hominis dicitur *abbreviata*. Alii respicientes ad textum hebraicum, juxta quem hebdomades pro *abbreviatæ* dicuntur *decisæ*, volunt has ideo tales dici, vel quia in plures partes erant veluti concisæ & divisæ (& de facto in tres partes dividuntur ab Angelo, primo in 7., deinde in 62., tandem in 1.) vel quia non erant futuræ completæ, cum ante complementum septuagesimæ esset consummanda redemptio. Alii volunt hebdomadas dici *abbreviatas*, quia debebant constare ex annis lunaribus, qui sunt breviores annis communibus solaribus 11. diebus.

Quæ sequuntur in prophetia tam clare referuntur ad Messiam, ut nihil clarius. Cui enim nisi Messiæ possunt aptari characteres ibi expressi? Ille scilicet ibi indicatur, in quo debebat consummari prævaricatio, & finem accipere peccatum, & a quo debebat deleri iniquitas, & adduci justitia sempiterna, & de quo debebant verificari visiones & prophetiæ, & qui erat futurus Sanctus Sanctorum. Quinam autem ille est nisi Messias?

Unde desumendum sit initium harum hebdomadarum indicat Propheta per illud *ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem*. Hic autem sermo solum esse potest edictum de reædificatione Jerusalem, quod etiam clarissime patet ex textu hebraico, ubi dicitur: *Ab exitu sermonis ad reverti faciendum & ædificandam Jerusalem*. Cum autem quatuor post tempora hujus prophetiæ data sint in gratiam Judæorum edicta a Regibus Persarum, sequitur ut ab aliquo ex his debeat desumi initium harum hebdomadarum. A quonam au-

autem præcise sit desumundum, examinabo capite sequenti, cum ex una parte ad convincendos ex hac prophetia Judæos non sit absolute necessaria hæc edicti determinatio, ex alia tam prolixam hujus puncti examen requirat tractationem, ut integro capiti sit assignanda.

A tempore igitur edicti de reædificatione Jerusalem usque ad Messiam Angelus dicit intercessuras hebdomadas 7. & 62. quæ cum ultima, de qua infra, complent numerum 70. Ratio hujus divisionis non satis constat. Petavius suspicatur prius spatium 7. hebdomadarum concedi reædificationi civitatis & templi, reliquum vero hebdomadarum 62. a ræedificatis civitate & templo ad Christum fluxurum dicit. Cæterum exempla habemus in Scripturis alicujus totius, quod per varias partes divisum enunciatur, ut est illud (a): *Viginti sicli & vigintiquinque sicli, & quindecim sicli mnam faciunt*. De priori spatio 7. hebdomadarum vult Petavius dici posse quod infra subditur: *& rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum*; spatium enim illud 7. hebdomadarum est e duobus minus intervallum. Alii tamen pro *angustia temporum* intelligunt tempora illa difficillima, quibus Judæi Jerusalem instaurant.

Post hebdomadas autem 62. sive post 69. ab exitu sermonis &c. dicitur occidendus Christus, idest Messias. Græci legunt *peribit unctio*: sed ibidem abstractum poni pro concreto patet tum ex textu hebraico, ubi dicitur *excidetur unctus*, tum ex versione Aquilæ & Simmachi, quorum prior legit *excidetur Christus*, alter *peribit unctus*.

Quod subditur *& non erit ejus populus, qui eum negaturus est* in hebraico multo obscurius ex-

(a) *Ezech.* 45.

exprimitur; dicitur enim simpliciter *& non ei*, qui locus occasionem dedit variis expositionibus. Præter vulgatum enim interpretem, qui vertit, ut dixi, alii vertunt: *nihil amplius Christo remanebit in civitate Jerusalem, sed inde omnes suos educet*: alii: *nullus stabit pro Christo, sed omnes stabunt contra ipsum*: alii: *non obediet ei populus, aut non servabitur pro illo forma judicii*: alii: *non morietur pro se, sed pro aliis*: quæ omnia optime Christo conveniunt.

Deinde dicitur: *Sanctuarium & civitatem dissipabit populus cum duce venturo*. Hic prædicitur devastatio civitatis & templi facienda post 70. hebdomadas a Vespasiano & Tito in fine belli judaici, & ideo subditur: *& in fine belli statuta desolatio*: quæ verba paulo aliter in Hebræo leguntur; dicitur enim: *& finis ejus in inundatione, & usque ad finem belli decisæ desolationes*. Horum autem verborum significatio parum distat a significatione priorum; exprimitur enim toto tempore belli usque ad consummationem ipsius mala & desolationes inundaturas super Jerusalem.

Messias porro dicitur *confirmaturus pactum multis hebdomada una, & cessatura in medio hebdomadis hostiam & sacrificium*: hoc est Messias una hebdomada novum testamentum cum multis confirmabit prædicatione & miraculis: in medio autem hujus hebdomadæ, seu, ut alii ex hebraico vertunt, *in hebdomada dimidiata*, quod idem est ac *non completa*, deficient Sacrificia veteris legis: & hoc debebat verificari in morte Christi, in qua complete & hæc lex & illius Sacrificia desinere debebant.

Absolvitur prophetia præditione abominationis & desolationis perseveraturæ usque in finem. Non convenit inter Theologos quænam sit abominatio desolationis, de qua vaticinium. Alii illam explicant per templi profanationem faciendam a Romanis, alii per templi profanationem faciendam ab ipsis Judæis seditiosis dictis zelotis, de

qui-

quibus plura Josephus (*a*): alii etiam aliter. Hæc desolatio dicitur perseveratura usque ad consummationem, quia non amplius dabitur Judæis patrium templum reædificare & sanctificare.

Hactenus allata est litteralior, & fere communis interpretatio, quam Christiani oraculo Danielis tribuunt. Sunt tamen aliæ quædam Christianorum interpretationes a communi recedentes, quas commodius afferam, & confutabo capite sequenti.

ARTICULUS SECUNDUS.

Varias Judæi huic oraculo affingunt interpretationes. Alii nolunt illo designari adventum Messiæ: alii id concedunt, sed diverso modo oraculum explicant ac Christiani. Qui primam ineunt viam

Dicunt I. per *Christum*, qui in oraculo designatur, intelligi posse vel Cyrum, quem Isaias appellat Christum, vel Josue seu Josedech Sacerdotem magnum, qui (*b*) cum Zorobabele in Judæam rediit, vel ipsum Zorobabelem, qui captivos Judæos reduxit ad patrias terras, vel Nehemiam, vel Herodem Agrippam, qui in ultimo bello judaico fuit a Romanis occisus, vel Hircanum postremum regem Assamonæum, quem Herodes regno privavit, vel tandem regiam dignitatem in genere, quæ in eversione Jerusalem fuit penitus a Judæis ablata.

II. Quæ prædicuntur in oraculo non esse referenda ad Messiam, sed ad finem mundi probant Judæi ad hominem contra Christianos ex testimonio Christi ita oraculum explicantis (*c*): *Cum videritis*, inquit ipse, *abominationem desolationis*, *quæ*

(a) *De bel. Jud.* (b) 1. *Esdr.* 2.
(c) *Matt.* 24.

quæ dicta est a Daniele Propheta .... tunc qui in Judæa sunt fugiant ad montes ... Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi usque modo neque fiet, & nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi ..... statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur: & tunc parebit signum Filii hominis in cœlo . . . & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate, & mittet Angelos suos cum tuba & voce magna &c. Sed

Contra I. Nullus ex assignatis potest esse Christus in oraculo expressus, cum nulli ex iis characteres competant, qui in oraculo de Christo duce prædicuntur. Sane præcipuus character Christi, de quo Daniel, est quod per ipsum finem deberet accipere peccatum, & adduci justitia sempiterna. Hoc nulli ex assignatis convenit. Ergo &c. Ut interim omittam quod plures ex enumeratis ut Cyrus, Josedech, Zorobabel, Nehemias non venerunt post 69 hebdomadas ab edicto de reædificatione Jerusalem, ut debebat venire Christus, de quo oraculum: sed circa hoc videantur, quæ dicentur capite sequenti.

Contra II. Christus non retulit vaticinium Danielis ad finem mundi, sed ad excidium Jerosolymitanum faciendum per Titum, & ad profanationem templi faciendam per Romanos, vel per Zelotes Judæorum, quamvis postea de fine mundi, & de iis, quæ talem finem erant præcessura, locutus fuerit. Duo enim petierant Discipuli a Christo, quando futura esset destructio Jerusalem, & quæ futura indicia finis mundi: *Accesserunt discipuli secreto dicentes: dic nobis, quando hæc erunt* (scilicet destructio Jerusalem, de qua supra locutus fuerat Christus) *& quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* Primo quæsito respondet Christus per ea verba: *Cum videritis*

tis abominationem desolationis &c. usque ad illa: *Sed propter electos breviabuntur dies illi*. Postea transitum facit ad id, quod evenire debebat tempore inter destructionem Jerusalem, & finem mundi, ac prædicit multos futuros pseudo-christos, ac pseudo-prophetas, quod sane verificatum est ab initio Ecclesiæ, ut verificabitur usque in finem, imo præcipue versus finem per Antichristum. Tandem adducit signa proxime ostendentia finem hunc per illa verba: *statim autem post tribulationem dierum illorum &c.* sicque secundo quæsito respondet. Ergo &c.

Qui vero secundam ineunt viam dicunt non prænunciari a Daniele præcisum tempus adventus Messiæ, sed solum tempus indeterminatum; quamvis enim ipse exprimat numerum 70. hebdomadarum, scimus tamen multoties numerum certum pro incerto in Scripturis poni. Ita dicitur (a): *Vivificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos*, & tamen per omnes ibidem incertum tempus denotatur. Ergo a pari &c. Sed

Contra. Aliquando sane in Scripturis tempus certum pro incerto ponitur: at ita non est in hac prophetia. Ibi enim certi quidem historici eventus in certos quosdam terminos distribuuntur, ita ut unus eventus uni termino, alter alteri assignetur: quod sane indicat numerum assignatum proprie & determinate sumi. Præterea assignatio talis temporis indeterminati fuisset inutilis ad scopum, ad quem dirigebatur revelatio facta Danieli; scopus enim hic fuit ut Daniel solamen caperet de afflictione populi sui: quamnam autem consolationem poterat Danieli afferre prædictio de Messia reparatore venturo tempore quodam indeterminato, quem aliquando venturum etiam antecedenter sciebat Daniel? Ergo &c.

AR-

(a) *Osea cap.* 6.

ARTICULUS TERTIUS.

Sed jam videndum quomodo ex hoc oraculo ostendatur contra Judæos venisse Messiam. Tale ergo contra ipsos instituitur argumentum.

Messias ex Daniele debebat venire intra 70. hebdomadas ab edicto de reædificatione Jerusalem. Ergo Messias jam venit. Prob. consequentia. 70. hebdomadæ a quocumque edicto ex jam assignatis incipiantur, jam transierunt. Ergo &c. Prob. antecedens I. ex supputatione temporum; quodcumque enim consideretur edictum de reædificatione Jerusalem, numerando ab ipso 490. annos, semper hi desinunt versus tempora Christi: II. ex quo desolatio & destructio templi & civitatis debebat evenire post expletam septuagesimam hebdomadam. Hæc jam a multis sæculis evenit. Ergo 70. hebdomadæ transierunt.

CAPUT TERTIUM.

De initio & fine hebdomadarum Danielis.

QUod hìc examinabitur est, a quonam præcise anno deducendum sit initium, & quonam præcise anno finem habuerint Danielis hebdomadæ. Quoniam autem ex determinatione anni finis magna ex parte dependet determinatio anni initii, & hic finis juxta omnes Catholicos habitus est paulo post mortem Christi, statuendus proinde est prius annus, in quem incidit mors Christi? Sed cum determinatio hujus anni & ipsa dependeat a determinatione anni nativitatis & baptismi ejusdem Christi, ideo ante omnia determinandi sunt hi anni nativitatis & Baptismi. Hæc igitur erit divisio capitis: 1. examinabo quonam præcise anno Christus natus sit: 2. quo anno fuerit baptizatus: 3 quo anno mortuus fuerit: 4. quo anno initium habuerint Danielis hebdomadæ, & quo anno habuerint finem.

ARTICULUS PRIMUS.

Noto 1. illum dici probe nosse tempus alicujus eventus vel præteriti, vel futuri, qui scit quantum distet a tempore ipsi præsenti ut E. G. claram dicor habere ideam temporis mortis Benedicti XIV. si sciam eam antecedere 8. annis tempus, quo hæc scribo, scilicet annum 1766. Ut igitur cognoscatur annus nativitatis Christi, cognosci debet quantum hæc distet a tempore præsenti.

Noto 2. quod, si exploratum esset æram nostram vulgarem (qua scilicet communiter modo utimur ad designandum tempus elapsum a nativitate Christi, & juxta quam dicimus annum præsentem esse 1766. ab hac nativitate) exactam esse ac accuratam, sublata jam esset omnis circa hoc controversia, cum tunc certo constaret distantia temporis hujus nativitatis a tempore præsenti. Sed cum rationabiliter dubitetur utrum hæc æra sit accurata, imo probabilius, ut infra patebit, non sit, datur locus quæstioni. In qua tamen opportunum erit notas chronologicas dictæ nativitatis ad æram vulgarem referre; cognita enim distantia anni talis nativitatis ab initio hujus æræ, & cognita distantia hujus initii a tempore præsenti, clara habebitur idea anni talis nativitatis.

Noto 3. me hic supponere annum 1. æræ vulgaris incidere in annum 45. imperii Augusti ab occisione Julii Cæsaris, 46. Julianum, 1. Olympiadis 195. (æra Olympiadum erat celeberrima inter Græcos, & deducebatur ab institutione ludorum Olympicorum, seu potius a celebri victoria, quam in iis obtinuit Corœbus, quæ incidit in annum ante æram vulgarem 776. & hi ludi 5. quoque anno celebrabantur, unde Olympias 4. annos completos comprehendebat) ab urbe condita (juxta epocham Varronis communius admissam) 754., Coss. Cajo Cæsare, & L. Æmilio Paulo.

lo. Id fatentur & ostendunt omnes periti Chronologi recentiores.

Noto 4. annum I. æræ vulgaris ab illius auctore non esse statutum illum ipsum annum, quo natum credidit Christum, sed immediate sequentem; cum enim Christus ex constanti Ecclesiæ latinæ traditione natus sit die 25. Decembris, ipse I. annum æræ vulgaris auspicatus est a Kalendis Januarii anni immediate sequentis.

Noto 5. has ab Evangelistis afferri notas, ex quibus expiscari possumus annum natalitium Christi; primo enim asserunt Christum natum esse, Romæ imperante Cæsare Augusto, ut patet ex Luca dicente (a): *Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis*, & postea narrante iter Mariæ & Josephi a Nazareth in Bethlehem, ut obtemperarent huic edicto, & partum ejusdem Mariæ, cum ea occasione esset in Bethlehem: secundo dicunt Christum natum esse vivente Herode rege (Herode inquam priore, qui etiam dicitur magnus; alius enim fuit Herodes Rex dictus Antipas filius prioris, ad quem a Pilato fuit missus Christus in ejus passione) ut patet ex Matthæo dicente (b): *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis*: tertio dicunt prædicationem Joannis Baptistæ cœpisse anno 15. Tiberii, quo tempore Jesus fuit ab ipso Joanne baptizatus, cum esset annorum quasi triginta, ut patet ex Luca dicente (c): *Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris . . . . factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto: & venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ . . . . factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato & orante apertum est cœlum . . .*

 &

(a) *Luc.* 2. (b) *Matt.* 2.
(c) *Luc.* 3.

& ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.

Noto 6. Cæsarem Augustum ex Josepho (*a*) regnasse annis 57. Herodem vero ex eodem Josepho regnasse annis 37. postquam a Romanis fuit Rex salutatus, & 34. a sublato Antigono ultimo Rege ex stirpe Assamonæorum. Fuit autem Rex declaratus a Romanis anno 5. Augusti, cum ex Josepho (*b*) anno hujus declarationis fuerint Consules Domitius Calvinus, & Asinius Pollio, quorum consulatus incidit in annum 5. Augusti. Et quidem fuit declaratus Rex solum in autumno, cum solum autumno dicti anni Romæ fuerint Augustus & Antonius, quos Romæ convenit Herodes, & quorum studio fuit a Romanis Rex declaratus. Antigoni porro mors tribus annis accidit post primam epocham regni Herodis, adeoque anno 8. Augusti, & quidem & ipsa in autumno, cum doceat Josephus Antigonum regnasse tribus annis & tribus mensibus, regno autem potitus sit initio æstatis. Cùm ergo Christus natus sit imperante Romæ Augusto, & in Judæa Herode, patet ipsius nativitatem incidisse in aliquem ex illis 37. annis, quibus regnavit Herodes, adeoque nec anteriorem esse anno 5. Augusti, nec posteriorem anno 42. Cum porro Christus fuerit 30. circiter annorum anno 15. imperii Tiberii (qui immediate post mortem Augusti imperium iniit) debet ipsius nativitas differri, quantum fieri potest; si enim difficile est, ut infra patebit, conciliare hanc Christi ætatem cum anno 15. Tiberii dilata ejusdem Christi nativitate ad annos postremos Herodis, multo hoc esset difficilius, si illam assignaremus annis prioribus. Debet ergo dici natus Christus anno vel 39. vel 40. vel 41. vel

(a) *Lib.* 18. *antiquit. cap* 2. *al.* 3.
(b) *Lib.* 14. *antiquit. cap.* 26. *al.* 23.

vel 42. Augusti. Quinam autem ex iis sit seligendus, magna ex parte dependet ex determinatione anni emortualis Herodis: sed antequam hic determinetur, præstat aliquid dicere de eo anni tempore, quo ipse mortuus est. Circa hoc ergo

Noto 7. duas esse sententias circa illud anni tempus, quo Herodes mortuus est. Prima statuit illum mortuum esse vere circa festum Paschæ, altera autumno mense Novembris. Cum prioribus ipse sentio. Primo enim narrat Josephus (*a*) Archelaum filium Herodis, post quam luxisset patrem 7. diebus ascendisse in templum, cum jam instaret solemnitas azymorum. Paucis ergo diebus ante hanc solemnitatem Herodes mortuus fuerat. Accedit eundem Josephum narrare quod, cum occasione hujus solemnitatis plurimi Judæi convenissent Jerosolymam, orta est seditio, quam primo blanditiis, deinde vi Archelaus repressit, cum properaret Romam proficisci, ut voluntatem Cæsaris, cujus arbitrio commiserat Herodes illi confirmare regnum, de se perspectam haberet, quod iter statim post festum arripuit. Quis autem credat Archelaum, cum de regno ageretur, distulisse a Novembri usque ad Martium vel Aprilem anni sequentis Romam proficisci, præsertim cum ipse sciret & fratrem suum Antipam secum de regno contendentem Romam properare ad captandum favorem Cæsaris, & Romæ plures esse, qui eidem Antipæ favebant, sibique erant infensi, quique proinde facile potuissent animum Cæsaris a se alienare? Accedit insuper quod ex eodem Josepho proficiscenti Romam Archelao obviam fuit Cæsareæ Sabinus rerum Augusti in Syria procurator in Judæam tendens ad servandas Herodis opes. Quis porro credat Sabinum tam proximum Judææ, utpote degentem in

(a) *Lib.* 17. *antiquit. cap.* 8. *al.* 10. *& lib.* 2. *de bello Judaico cap.* 1.

Syria, a Novembre ad ver, adeoque per 4. vel 5. menses in re tanti momenti dormitasse? Objiciunt quidem patroni sententiæ contrariæ rituale Hebræorum, in quo 7. die Novembris notatur festivitas ob mortem Herodis sapientum, ut ibi dicitur, persecutoris, quæ eo die accidit. Sed advertunt plerique antiquitus quidem extitisse librum authenticum festorum & jejuniorum Judæorum, sed hunc periisse, & qui modo habetur esse sublestæ fidei, & ab imperitis Rabbinis recentioribus conscriptum, cujus rei inter alia indicium est, quod eadem die assignet festivitatem ob mortem Herodis, & jejunium ob combustum a Rege Joachimo volumen Baruch: & quod primus ille liber lingua Syriaca vel Chaldaica esset scriptus, ut constat ex variis locis ab eo desumptis, & Talmudi insertis, cum tamen locus objectus hebraico Rabbinorum stylo sit exaratus. His præmissis

Noto 8. omnes ferme Chronologos in hoc convenire, quod Herodes nec citius mortuus sit anno 41. Augusti, nec serius anno 42. Et sane illa historiæ monumenta, ex quibus colligi potest annus emortualis Herodis, hoc manifeste evincunt; I. enim Josephus, ut supra dixi, testatur Herodem mortuum esse, postquam regnasset 37 annis a sui electione in Regem facta a Romanis, & 34. ab occisione Antigoni. Cum ergo Romani Herodem constituerint Regem anno 5. Augusti, & Antigonus occisus fuerit anno 8., si ab anno 5. Augusti numeremus annos 37. & 34. ab anno 8., vel includatur in summa annorum 37. Herodis annus 5. Augusti, vel excludatur: itemque vel includatur in summa annorum 34. Herodis annus 8. Augusti, vel excludatur, nec citius anno 41., nec serius anno 42. mortuus erit Herodes. II. Archelaus filius Herodis pulsus fuit in exilium anno 10. ineunte regni obtenti ab obitu patris ex Josepho (*a*). Id autem accidit anno 51

(a) *Lib.* 2. *de bello Judaico cap.* 6. *al.* 7. & *lib.* 17. *antiquit. cap.* 13. *al.* 15.

vel 52. Augusti; nam refert idem Josephus (*a*) post exilium Archelai missum esse Quirinum ad censendas ejus facultates anno post victoriam Actiacam 37. Vel ergo numeremus hos 37. annos ab anno 14. Augusti, quo habita est pugna Actiaca, vel ab anno 15., ut plerique faciunt, quo extincto Marco Antonio Augustus solus Monarcha remansit, annus hic 37. vel est 51. vel 52. Augusti, & cum 10. annis prior sit mors Herodis, patet hanc incidisse in annum 41. vel 42. Augusti. III. refert Josephus (*b*) Philippum alium filium Herodis magni, cum esset Tetrarcha Traconitidis, ordinatis ac dispositis rebus Tetrarchiæ suæ urbis speciem dedisse vico Bethsaidæ, eumque a nomine Juliæ filiæ Augusti nuncupasse. Id autem non est verisimile accidisse, nisi antequam Juliæ detegerentur adulteria; postquam enim hæc detecta sunt, ita animus patris ab illa alienatus est, ut ne mentionem quidem de ea sustinere posset teste Svetonio & Tacito, nec proinde credibile est Philippum, qui maxime studebat gratiam Augusti aucupari, tunc voluisse civitatem a nomine Juliæ appellare: detecta sunt autem hæc adulteria Coss. Augusto XIII. & M. Plautio Silvano, quorum consulatus incidit in annum 43. Augusti. Igitur ante hunc annum Philippus nomen hoc tribuerat suæ civitati: & cum hoc non fecerit nisi ordinatis & dispositis rebus Tetrarchiæ suæ, & addita vico specie urbis, idest auctis ædificiis, qualia ad urbem constituendam erant necessaria, quod vel unum vel duos annos requirit, non possumus non tribuere ei ante annum 43. Augusti unum, vel alterum annum Tetrarchiæ. Cum autem hoc non sit potitus nisi post mortem Herodis magni, hæc consequenter anno 41. vel 42. Augusti est consignanda.

(a) *Lib.* 18. *antiquit. cap* 1. *al.* 3.
(b) *Lib.* 18. *antiquit. cap.* 2. *al.* 3.

Noto 9. cohærenter ad dicta momenta supra adducta stare posse cum consignatione mortis Herodis tam anno 41. quam 42. Augusti; quod enim spectat ad I. quis divinari poterit an Josephus loquatur de annis completis? Sane observatum est scriptores præsertim antiquos, cum vellent enunciare durationem alicujus rei vel personæ, præ oculis habuisse formam illius anni, quo utebantur, & huic formæ accomodantes durationem rei vel personæ, primum annum hujus durationis non raro dixisse spatium, quod excurrebat ab initio rei vel personæ usque ad finem anni illius determinatæ formæ, incipientes secundum annum ab initio sequentis anni illius determinatæ formæ: ut E. G. dato, quod scriptor aliquis uteretur anno Juliano incipiente a Kalendis Januarii, si narrasset durationem rei vel personæ initium habentis a Novembre, durationem per duos menses Novembrem & Decembrem appellabat primum annum, incipiens secundum a Kalendis Januarii anni sequentis. Et hinc, ut observat Petitus, Vossius, Lensdenus, aliique, invaluerat apud Hebræos canon: *dies unus in fine anni pro anno computatur:* quod idem proportionaliter valet de paucis diebus vel mensibus attingentibus annum ultimum illius rei vel personæ. Afferantur casus particulares: Svetonius ait Neronem obiisse anno ætatis 32. Sed cum hic occisus sit anno æræ Christianæ 68. mense Junii, & natus sit anno ejusdem æræ 37. mense Decembris, patet Neronem, cum occisus est, nondum complevisse annum 31. nec potest Svetonius asserere ipsum tunc fuisse 32. annorum, nisi computando pro anno integro paucos dies Decembris primi anni Neronis, itemque pro anno integro illos fere 6. menses ultimi anni, qui fluxerunt a Januario (quo incipit annus Julianus a Svetonio adhibitus) usque ad occisionem illius. Herodianus & ipse adhibens annum Julianum scribit Alexandrum Imperatorem regnasse 14. annis, & tamen cum ipse regnum inierit 6. Martii anni æræ Chri-

stia-

ſtianæ 222. & occisus sit 14. Martii anni ejusdem æræ 235., non potest Herodianus asserere Alexandrum regnasse 14. annis, nisi sumendo pro anno completo decem menses primi anni, qui fluxerunt a die 6. Martii anni 222. usque ad Januarium anni 223, itemque pro anno completo duos menses & aliquot dies, qui fluxerunt a Kalendis Januarii ad diem 14. Martii anni 235. Imo ipse Josephus aliquando hac forma numerandi annos usus est; scribit enim Agrippam regnasse 4. annis sub Cajo, ipsum autem loqui de annis incompletis ex eo patet, quod Cajus solum 3. annis & 10. mensibus imperaverit. Quidni ergo suspicemur Josephum scribere Herodem regnasse 37. annis, postquam a Romanis fuit electus (quod idem valet de altera epocha regni Herodis a Josepho assignata) sumendo pro primo anno paucos illos menses, qui ab ipsius Herodis inauguratione fluxerunt usque ad Januarium proximum, & sumendo pro anno 37. paucos illos menses, qui a principio Januarii fluxerunt usque ad illius mortem, præsertim quia ipse anno Juliano usus est, cum vel Romæ scripserit, vel saltem cum Romanos mores induerat? Quod spectat ad II. cum incertum sit an Josephus annos post pugnam Actiacam numeret ab anno 14. an 15. Augusti, incertum pariter est an census Quirini sit consignandus anno 51. an 52. Augusti, consequenter an mors Herodis sit consignanda anno 41. an 42. Augusti. Quod spectat ad III. cum pariter incertum sit an Philippus unum an duos annos insumpserit in ordinandis rebus Tetrarchiæ suæ, & augendo vico, cui civitatis honorem tribuere volebat, incertum pariter remanet an mors Herodis uno an duobus annis prior sit initio Tetrarchiæ illius, consequenter &c. Si igitur momenta adducta tam possint componi cum anno 41. quam cum 42. Augusti, erit ne aliunde argumentum, quo determinare possimus unum potius, quam alterum ex his duobus annis? Pro responsione

E 6

Noto 10. hoc argumentum suppeditari ab eclipsi lunæ, quæ modico tempore præcessit mortem Herodis. Narrat enim Josephus (*a*) quod cum Herodes graviter ægrotaret, & jam de salute ejus desperaretur, plures juvenes Judæi suasu cujusdam Judæ Sariphæi filiis, & Matthiæ filii Margolothi aquilam auream in templo positam ab Herode sustulerunt, & securibus conciderunt, quo facto indignatus Herodes rei auctores vivos comburi jussit, & proxima nocte habita est eclipsis lunæ. Post hanc autem eclipsim narrat idem Josephus, quod Herodes profectus est trans Jordanem in Callirohen, ut balneis calidis uteretur, ubi cum etiam in olei dolium ex medicorum consilio positus fuisset, visus est exhalare animam, unde Jerichuntem repetiit, ibique accepit litteras ab Augusto ei tribuente facultatem puniendi morte filium Antipatrum, quem attentati parricidii accusatum in vinculis habebat. Sed crescentibus doloribus tentavit se occidere, quod cum cognovisset Antipater fugam meditatus est, sed re cognita, Herodes jussit illum occidi, & 5. die ab occisione Antipatri ipse mortuus est. Sane hæc narratio indicat modicum tempus intercessisse ab hac eclipsi ad mortem Herodis. Videamus ergo quandonam eclipsis illa contigerit. Constat porro ex tabulis astronomicis apud Lamy anno 42. Augusti nullam fuisse eclipsim lunæ: Anno autem 41. duæ fuerunt lunæ eclipses, una 13., vel ut alii volunt 12. Martii in nocte, altera 5. Septembris hora secunda pomeridiana, quæ proinde cum non habita fuerit nocte, non potest esse indicata a Josepho. Hæc ergo fuit prima: sed ab hac ad mortem Herodis modicum tempus intercessit, & hæc accidit anno 41. Augusti. Ergo hoc anno mortuus est Herodes. Scio objici quod Jose-

(*a*) *Lib.* 17. *antiquit. cap.* 6. *al.* 8.

sephus non loquatur de vera eclipsi, sed tantum de inusitato pallore lunæ, quem aliquando Scriptores appellant eclipsim, & quod, etsi hæc fuerit vera eclipsis, anno integro præcesserit mortem Herodis. Illud enim Pascha, quod proxime secutum est mortem Herodis, non potuit esse Pascha ejusdem anni 41. Augusti, quia cum hoc acciderit ex tabulis astronomicis die 11. Aprilis, ad quam a die 12., vel 13. Martii vix dies 30. sunt, non potuerunt juxta hoc spatium peragi, quæ Josephus narrat fuisse peracta post eclipsim, & illud Pascha quod proxime secutum est Herodis mortem scilicet itinera supra commemorata Herodis, cum morbus ipsius esset adhuc lentus, mansio in Callirohen, usus balneorum, reversio Jerichuntem, mansio in Jerichunte saltem per plures dies usque ad mortem, præparatio illorum, quæ erant necessaria post talem mortem ad magnificum funus, delatio cadaveris in Herodion per 200. stadia, associante Archelao, reversio ejusdem in Jerusalem, luctus per septem dies, & convivia funebria data populo. Remanet ergo ut Pascha proximum morti Herodis fuerit Pascha anni 42. Augusti, consequenter quod eclipsis integro anno mortem Herodis antecesserit. Sed contra, Josephum non loqui de vera eclipsi gratis asseritur, imo violentia infertur ejus dictis, si hoc asseratur: & quamvis aliquando Historici nomine eclipsis denotent inusitatum pallorem astrorum citra veram eclipsim, hinc tamen non potest statui regula generalis ita intelligendi pro libito eclipses, quas commemorant. Nec negotium facessit quod subditur. Josephus enim non ait morbum Herodis tempore eclipsis fuisse lentum, imo dicit etiam antea fuisse desperatam ipsius salutem, & hæc ipsa desperatio incitavit seditionem ad aquilam deturbandam: ait solum lento calore extrinseco ipsum fuisse afflictum, qui tamen calor interne illum urebat, erumpentibus interim e toto corpore sævissimis ulceribus. Porro quæ gesta sunt post eclipsim intra 30. dies, peragi potuerunt.

Iti-

Itineri in Callirohen, locum unius ad summum diei itinere distantem a Jesosolimis, mansioni in eodem loco, regressuri ab illo assignentur 10 dies, sufficiebat enim experiri per 6. vel 7. dies balneos, ut agnosceretur illorum inutilitas respectu desperati morbi Herodis, 7. alii assignentur mansioni in Jerichunte, & occisioni Antipatri usque ad mortem Herodis: 12. alii præparationi funeris, associationi cadaveris factæ ab Archelao (quod ex annotationibus Havercampi in libros Josephi solum per 8. stadia Archelaus comitatus est,) luctui 7. dierum, & conviviis horum 7. dierum populo exhibitis, en 29. dies, quibus exactis potuit statim advenire festum Paschæ citra ullum inconveniens.

Noto II. plures esse sententias circa annum Christi natalitium. Ad evitandam autem confusionem eas per annos tantum imperii Augusti enumerabo, ex quibus debitis adhibitis calculis cohærenter ad supra notata apparebunt tum anni urbis conditæ, Juliani, & Olympiadum, tum horum relatio ad æram vulgarem. Pagius uterque, Schelstratius, Blanchinius nativitatem Christi consignant anno 39. Augusti. Dacherius, Norisius, Usserius, Natalis Alexander, Gravesonius, Tillemontius, Petavius, Berti eam consignant anno 40. Augusti. Lamius, cui videntur suffragari aliqui Patres, ut Iræneus, Hieronymus & Severus Sulpitius anno Augusti 41. Pro anno Augusti 42. stant Baronius, Vossius, Scaliger, Salianus. Pro anno 43. stare videntur Epiphanius, Eusebius, & Nicephorus, & ex recentioribus Sigonius, Pererius & Maldonatus. Pro anno Augusti 44. stat Dionisius exiguus, Burgensis, Tostatus, Genebrardus, & Labbæus. Mitto alias sententias minus celebres, quæ ex dicendis confutatæ remanebunt. His prænotatis sit

Assertio. *Christus probabilius natus est anno 40. Augusti.*

Patet assertio ex prænotatis. Cum enim Christus natus sit vivente Herode, cumque hic anno

no 41. Augusti 25. Decembris, qua die natus est Christus, jam mortuus esset, jam Christi nativitas non potest statui posterior anno 40. Augusti, cumque ex alia parte tardius, quoad fieri potest, sit statuenda, ut salvetur illius ætas 30. annorum, cum accessit ad baptismum, non potest statui prior anno 40. Augusti. Ergo &c.

Accedit conjectura satis probabilis. Cædes SS. Innocentium probabilius accidit ultimis diebus Herodis, cum acciderit eo circiter tempore, quo etiam Antipater necatus est; Macrobius enim ait: (a) *Augustus cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judæorum intra bimatum jussit interfici filium quoque ejus occisum, ait, melius est Herodis porcum esse, quam filium.* (Hic porro filius nullus alius potest esse nisi Antipater, cum alii quidem duo filii necati fuerint ab Herode, sed multo ante, nec sit verisimile Herodi tunc septuagenario fuisse alios filios infantes, qui cum Bethleemitis necarentur). Atque hanc Antipatris occisionem conjunctam cum cæde puerorum Bethleemiticorum respiciens Augustus, simulque morem Hebræorum, quibus prohibitus erat vesci carne porcina, lepide dixit melius fuisse Herodis porcum esse, quam filium. Si ergo pueri Bethleemitici fuerunt necati eodem circiter tempore, quo Antipater, cum hic necatus sit 5. diebus ante mortem Herodis, paucis & ipsi diebus ante hanc mortem necati dicendi sunt. Quod sane optime cohæret cum aliis gestis ab Herode eodem tempore; eo enim crudelitatis & furoris hic venerat, ut præter filium seipsum etiam tentaverit occidere, & nobilissimos Judæorum in circo concluserit, præcepto imposito sorori suæ & ipsius marito, ut postquam ipse exhalasset animam, omnes necarentur. Cædes porro

(a) *Lib. 2. Saturnal. cap.* 4.

na Bethleemitica ultra duos circiter menses a nativitate Christi non est differenda; Nam Magi Christum adoraturi Jerusalem venerunt post paucos dies ab hac nativitate, quod præter traditionem Ecclesiæ videtur innuere Mathæus inquiens: (a) *Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda . . . ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam dicentes, ubi est, qui natus est, Rex Judæorum?* particula enim *ecce* non dicitur de re sera, sed de re subita & improvisa. A Jerusalem autem in Bethleem paucarum horarum spatio potuerunt pervenire. Rursus Magi Jesum natum procul dubio invenerunt in Bethleem, ubi illum non invenissent post 40. dies a nativitate, cum post hos 40. dies delatus sit in Jerusalem, & oblatus in templo a Maria & Josepho, qui postea in Bethleem non redierunt, sed reversi sunt in Nazareth (vel ante fugam in Ægyptum, vel immediate post regressum ab eodem Ægypto) teste Luca dicente: (b) *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus* (Mariæ) . . . *tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino . . & ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth.* Cum ergo Magis præcepisset Herodes, ut de inventione pueri illum certiorem facerent, verisimile est illorum reditum summa anxietate a Tyranno sibi & filiis maxime ab hoc novo nato rege Judæorum timente expectatum, & quamvis huic expectationi aliquas hebdomadas possimus tribuere, poterat enim Herodes credere Magos non tam cito invenisse puerum, aut ad se postea reversuros alio interim divertisse: rursus quamvis non videns Magos ad se revertentes potuerit suspicari puerum non fuisse ab illis in-

ven-

(a) *Cap.* 2. (b) *Ibidem.*

ventum, adeoque eos tacite ad evitandam confusionem ad propria fuisse reversos, cum tamen initio Februarii audivit Christum in templo fuisse præsentatum, & certior factus est de magnificis præconiis, quæ de ipso habita sunt a Simeone & Anna, tunc tandem cognovit sibi illusum esse a Magis, tuncque animo concepit propositum perdendi Christum, interim examinans, quo id modo tuto fieri posset, quo in examine possumus credere Herodem per tres quatuorve hebdomadas versatum, donec vi morbi in furorem actus, ut dixi, immane consilium cæpit perdendi omnes pueros Bethleemiticos. Sane ultra duos circiter menses non est verisimile Herodem crudelem suspiciosum timentem, nè a regno, quod tirannice arripuerat, & gubernabat, per natum Regem depelleretur, & consequenter nè posset illud filiis relinquere, distulisse cædem SS. Innocentium, quæ juxta ipsum in tuto res suas erat positura; & multo minus est verisimile ob eamdem rationem illam distulisse ad annum, ut plerique contendunt. Si ergo cædes Bethleemitica ultimis diebus vitæ Herodis habita est, hæc ergo habita est anno 41. Augusti, & si duobus circiter mensibus ante Christus natus est, hic natus est anni 40. Augusti.

Obj. ex Scripturis. I. Christus natus est, dum jussu Augusti describeretur universus orbis a Cyrino Syriæ præside (*a*) Atqui hæc descriptio non est habita anno 40. Augusti. Ergo &c. Prob. minor ex Svetonio (*b*) Augustus ter censum, sive descriptionem populorum indixit. Constat autem ex tabulis Ancyranis (antiquissimum hoc est monumentum Ancyræ repertum, in quo gesta ejusdem Augusti ab ipso conscripta notata sunt) primum censum ab Augusto peractum fuisse Coss. ipso Augusto, & Agrippa, quorum consula-

(a) *Ibid.* (b) *In Octavio.*

sulatus incidit in annum V. C. 726., qui est 17. Augusti: secundum peractum esse Coss. Censorino, & Asinio, quorum consulatus incidit in annum V. C. 746. & Augusti 37. Tertium peractum esse Coss. Sexto Pompejo, & Sexto Apulejo, quorum consulatus incidit in annum V. C. 767. qui fuit postremus Augusti. Ergo &c.

II. Dato quod Herodes mortuus sit anno 41. Augusti, Christi nativitas est consignanda anno 39. ipsius Augusti: hanc enim biennio antecessisse mortem Herodis, probatur ex quo hic (*a*) jussit occidi pueros in Bethleem *a bimatu & infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis*. Ex his enim verbis colligitur Herodem a Magis didicisse, quod stella illis apparuerat biennio ante tempus cædis. Cum ergo stella apparuerit in nativitate Christi, hæc consequenter biennio antecessit cædem, & cum hæc cedes habita sit anno 41. Augusti, consequenter Christi nativitas ad annum 39. erit trahenda. Accedit, quod si cædes Bethleemitica habita fuisset duobus solum vel tribus mensibus post nativitatem Christi, nulla fuisset ratio fugæ in Ægyptum; constat enim (*b*) Christum post ipsius præsentationem in templo delatum fuisse in Galilæam in Nazareth, ubi nihil timendum erat ab Herode, qui pueros solum jussit occidi in Bethleem, & finibus ejus. Ergo &c.

Ad I. respondent plures descriptionem, sub qua natus est Christus, fuisse secundam, quæ licet indicta anno 37. Augusti, potuit per plures annos durare, adeoque etiam protrahi ad annum 40. Augusti. Si enim ad enumerationem subditorum Davidis annus fere insumptus est (*c*) quantum tempus fuit insumendum in enumerandis

(a) *Matt.* 2. (b) *Luc.* 2.
(c) 2. *Reg. cap.* 24.

dis omnibus tempore Augusti subjectis populo Romano, cui parebat fere totus orbis? præcipue cum Romani Censores non tantum personas, sed familias etiam facultatesque percenserent. Addunt quod Cyrinus seu Quirinus (dictus a S. Luca Siriæ præses, vel ex quo fuerit tunc in Syriam missus ad censum peragendum cum extraordinaria potestate, vel ex quo fuit postea Syriæ præses ordinarius) coactus fuit, ut debellaret Hemonadenses, censum intermittere, quem postea ipsis victis vel idem Cyrinus, vel alius loco ipsius reassumpsit; sicque facilius protrahunt tempus indictæ descriptionis. Ipse respondeo nullum ex tribus enumeratis censibus fuisse descriptionem, cujus meminit Lucas. Census enim proprie talis solos cives Romanos & subditos Romani imperii spectabat, & occasione census a subditis tributa & mulctæ exigebantur. Descriptio autem, cujus meminit Lucas, spectavit tum subditos, tum amicos Romanorum, in quorum postrema classe erant tunc Judæi, qui, licet antea a Pompejo Romanis subjecti, tempore tamen Herodis magni fuerunt a tributis exempti, & considerati ut Romanorum socii & amici. Hanc porro descriptionem curavit Augustus, quia, ut inquit Tacitus, ipse Breviarum manu sua conficiebat, *in quo opes publicæ continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia & necessitates ac largitiones &c.* (a) Post mortem autem Herodis, & missum in exilium Archelaum ejus filium, Judæa redacta fuit in provinciam Romanam, misso illuc ad gubernium cum suprema potestate Romano præside, & tunc Judæi vere subditi Romanis evaserunt, & tributis subjecti, & facta est nova descriptio illorum a Cyrino seu Quirino tunc Syriæ præside ordinario,

quæ

(a) *Annal. lib.* 1.

quæ descriptio fuit verus census: & hanc descriptionem secundam præ oculis habens Lucas dicit illam, quæ facta est tempore nativitatis Christi, fuisse primam factam a Cyrino. Ubi etiam noto aliquos non improbabiliter negare hanc primam descriptionem factam a Cyrino, ita explicantes illud Lucæ: *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syriæ Cyrino*, ut sit sensus: *Hæc descriptio fuit prior illa, quæ facta est a Præside Syriæ Cyrino*. Ergo &c.

Ad II. ℟. primam difficultatis partem inniti supposito incerto, & probabilius falso, quod scilicet stella apparuerit Magis solum in nativitate Christi; quamvis enim id doceant aliqui Patres, plures tamen alii contra sentiunt, volentes stellam ante nativitatem Christi apparuisse. Res ergo est incerta. Sed probabilius etiam est falsa. Adventus enim Magorum in Jerusalem post paucos, idest 13. circiter dies a nativitate Christi indicat illam ante hanc nativitatem fuisse visam. Sane undecunque venerint, vel a Perside, vel a Chaldea, vel ab Arabia, quod non est exploratum, a regione certe a Judæa satis dissita venerunt. Verisimile porro est ipsos visa stella primum inter se examinasse quid illa significaret, rem etiam ab aliis, & præsertim a Judæis per orientem dispersis quæsisse, de itinere faciendo inter se consultasse, & de modo illius, & de tempore, omnia ad illud præparasse, tum itineri se accinxisse, & tandem Jerusalem pervenisse, quæ omnia intra 13. dies incredibile est peragi potuisse. Quod si stella ante nativitatem Christi apparuit, cum incertum sit quanto tempore ante hanc nativitatem apparuerit, nil vetat, nè dicamus ipsam fere biennio ante apparuisse, qua in re Chrisostomum sequemur (a) docentem stel-
lam

(a) *Homil. 7. in Matt. n. 3.*

Iam *ante multum tempus apparuisse*. Cum ergo Herodes audierit a Magis stellam ipsis fere biennio ante apparuisse, vel putans hanc apparitionem esse indicium pueri nati, vel ignorans utrum hæc indicaret natum an nasciturum, ut tuto posset ad occisionem illius pervenire, jussit occidi omnes pueros a bimatu & infra. Ad id, quod subditur, ℟. quod si argumentum valeret, probaret quoque superfluam fuisse fugam in Ægyptum etiam consignata cæde Bethleemitica biennio post Christi nativitatem; & tunc enim Christus non erat Bethleem sed in Nazareth. Directe dico in primis probabile esse quod Christus non fuerit a Jerusalem immediate delatus in Nazareth, sed solum post fugam in Ægyptum, & regressum ab illo, quam fugam & regressum non commemorans S. Lucas conjungit simul discessum a Jerusalem, & iter ad Nazareth. ℟. secundo esse quoque probabile, quod admoniti Josephus & Maria vel in Jerusalem, vel cum a Jerusalem versus Nazareth proficiscerentur, de fuga capienda in Ægyptum per Nazareth transierunt tum ad disponendas res familiares pro tempore absentiæ, tum ad asportanda necessaria itineri & mansioni incerti temporis in Ægypto. Ut interim omittam, quod etsi post discessum a Jerusalem rediissent in Nazareth animo ibi manendi, jure poterat præcipi fuga in Ægyptum, quia poterat timeri, nè Herodes certior factus quod puer Jesus natus in Bethleem asportatus fuerat in Nazareth, illuc mitteret satellites, ut occideretur. Ergo &c.

Obj. ex Ecclesia Romana. Hæc in numerandis annis, qui fluxerunt a nativitate Christi, utitur æra vulgari, juxta quam Christus dicitur natus in fine anni 44. Augusti. Ergo nè dicatur Ecclesiam Romanam in hoc decipi, Christus revera hoc anno natus dicendus est.

℟. Ecclesiam Romanam solum recentioribus temporibus cœpisse computare annos Christi per æram vulgarem. Primus enim R. Pontifex, qui

eam

eam adhibuit in publicis diplomatibus, fuit Eugenius IV. cum antecedenter anni numerarentur vel per Olympiades Græcorum, vel per fastos consulares, vel per æram Alexandrinam, quæ etiam dicebatur æra Martyrum deducta scilicet ex immani persecutione Diocletiani in Christianos. Cæterum quamvis modo adhibeatur æra vulgaris ab Ecclesia Romana, non tamen adhibetur, quia putetur omnino exacta, sed quia cum jam in usu communi hæc fuerit introducta ab eo tempore, quo exacta putabatur, voluit Ecclesia se populari usui accomodare, nec se immiscere quæstioni chronologicæ ad fidem non spectanti, præcipue cum licet modo conveniat fere inter omnes æram vulgarem non esse exactam, adhuc tamen controversus sit inter Chronologos annus nativitatis Christi. Et sane etiam Ecclesia in Martyrologio, enumerando annos, qui fluxerunt a creatione mundi ad eandem Christi nativitatem, utitur versione Græca; juxta quam dicitur Christus natus anno a creatione mundi 5099., nec tamen hunc calculum approbat, cum sequatur atque authenticam declaraverit nostram vulgatam, juxta quam (cohærenter etiam ad textum hebraicum) annus natalitius Christi est a creatione mundi circiter 4000. Ergo a pari &c.

Obj. ex Patribus. Annus natalitius Christi non potest differri ultra annum 39. Augusti. Nam Tertullianus loquens de censu Augusti ait: (a) *Quem testem fidelissimum dominicæ nativitatis Romana archivia custodiunt:* deinde infra ait: (b) *Sed & census constat actos sub Augusto tunc in Judæa per Sentium Saturninum, apud quos genus ejus* (Christi) *inquirere potuissent*. Ex Tertulliano igitur census, sub quo natus est Christus, peractus est per Sentium Saturninum, &

(a) *Lib. 4. contr. Marcion. cap.* 7.
(b) *Ibid. cap.* 19.

& si per hunc, profecto tunc, cum esset Syriæ Præses. Non autem talis fuit anno 40. Augusti, cum versus autumnum anni 39. ei in præfectura Syriæ successerit Quintilius Varus, ut ostendit Norisius. Christi ergo nativitas non potest differri ultra hunc annum 39.

℟. Primo quod si argumentum probaret, nec posset differri Christi nativitas ultra annum 38. Augusti, cum Sentius Saturninus mense Decembris (quo natus est Christus) anni 39., ex dictis, non fuerit amplius Syriæ Præses. Hoc autem neque concordat cum traditione docente Christum natum esse toto orbe in pace composito, quod difficile verificatur de anno 38. ob bella tunc gesta a Romanis, neque cohæret cum ætate, quam Lucas assignat Christo anno 15. Tiberii, ad quam salvandam, ut dixi, debet, quantum fieri potest, protrahi ipsius Christi nativitas. ℟. Secundo Tertullianum non asserere Christum natum esse sub censu Saturnini. Sane primo ex adductis locis dicit in Romanis Archiviis asservari censum, qui testatur dominicam nativitatem, de censore vero nihil dicit. Altero loco dicit quidem census actos sub Augusto in Judæa per Sentium Saturninum, sed undenam probabitur ipsum loqui de censu, seu potius enumeratione peracta in nativitate Christi? Ter, ut supra dixi, censum egit Augustus, quorum aliquis cur non potuit peragi in Judæa per Saturninum, licet non actu Syriæ præsidem, missum tamen cum extraordinaria potestate ad censum peragendum? Rursus cur non potuit hic census esse particularis Judææ adeoque non pertinens ad ullum ex tribus jam assignatis, ut fuit census actus a Quirino post relegationem Archelai? Sane hoc etiam admisso stat intentum Tertulliani ibidem, cum ipse velit inveniri potuisse cognationem Christi in censibus tempore Augusti peractis, quod optime verificatur admisso aliquo censu peracto tempore ipsius Augusti a Saturnino. ℟. tertio quod si S. Lucas asserit censum,

sub

sub quo natus est Christus, peractum esse a Cyrino (quod etiam tradunt plures Patres & nominatim Justinus in Dialogo cum Triphone) & Tertullianus asserit illum peractum esse a Saturnino, descrendus est omnino Tertullianus, ut Evangelio adhæreamus.

Obj. ex historicis. Christus ex prænotatis natus est versus finem vitæ Herodis magni. Ergo non anno in assertione assignato. Prob. consequentia. Herodes non 41. anno imperii Augusti mortuus est, sed anno 51. vel 52. Anni enim 37., quos Josephus tribuit regno Herodis, debent incipi ab anno 15. imperii Augusti, quando post victum Antonium in pugna Actiaca, Herodes, qui partes Antonii fuerat tutatus, ut sibi conciliaret Augustum, ad eum anno pugnam Actiacam subsequente perrexit, depositoque diademate veniam petiit, quam non solum obtinuit, sed etiam confirmatus fuit ab ipso in regno Judeæ. Ab hoc ergo tempore debet sumi initium regni Herodis, quo posito anni 37. quibus regnavit, desinunt in annum 51. imperii Augusti. Tardius etiam fingenda est mors Herodis, adhibito alio calculo ex Josepho. Hic enim (*a*) narrat Herodem, cum illi pater suus Antipater commisit gubernandam Galilæam fuisse 15. annorum, & hoc gubernium illi commissum est 7. annis, antequam a Romanis fuisset declaratus rex; adeoque anno V. C. 707. Igitur anno V. C. 707., erat 15. annorum, & cum ex eodem Josepho (*b*) vixerit 69. annis completis, pater ipsius mortem incidisse in annum V. C. 761., qui fuit 52. Augusti. Ergo &c.

℟. Gratis asseri annos regni Herodis computandos a pugna actiaca. Licet enim cum ipse Rhodum ad Augustum ejus gratiam aucupaturus perre-

(a) *Lib.* 14. *antiquit. cap.* 9.
(b) *In fine lib.* 1. *de bello Jud.*

rexit, deposuerit diadema in signum reverentiæ erga eundem Augustum, *de cætero tamen apparatu regio*, ut inquit Josephus (*a*), *nihil mutavit, neque preces adhibens quasi rogando veniam, sed facti sui rationem reddens intrepide*. Nec ergo ipse tunc renunciavit regno nec constat illum a regno fuisse dejectum ab Augusto, qui sane si ita illum dejecisset, offensus potius fuisset, quod regio apparatu ipsum conveniret, quam quod benigne ab illo exciperetur. Addi potest quod etiam Archelaus Cappadociæ rex, qui Antonii studio regnum obtinuerat, ejusque partes secutus fuerat, similiter post pugnam Actiacam veniam obtinuit ab Augusto, nec tamen antea è regno fuerat ab eodem dejectus; nam Scriptores annos illius regni numerant ab eo tempore, quo fuit rex ab Antonio constitutus non a pugna actiaca, cum & Tacitus & Dio asserant illum fuisse Romam accitum a Tiberio anno urbis 770., anno 50. regni, qui vix essent 46. vel 47., si illius initium a pugna actiaca desumeretur. Ergo a pari &c. Ad id, quod additur, ℟. non annorum 15. sed 25. Herodem fuisse, cum ipsi cura Galilææ est demandata. Primo enim, cum hoc factum sit ob socordiam Ircani rebus Judæorum regendis, inepte quis credat fuisse illi substitutum puerum 15. annorum? & quamvis Josephus dicat Herodem tunc fuisse valde juvenem, non tamen potest hoc intelligi de tanta juventute. Secundo egregia facta Herodis jam Galilæam gubernantis, ipsius fortitudo, prudentia, labores cum ætate 15. annorum componi non possunt, quæ vix componuntur cum ætate 25. annorum. Tertio observat Norisius 4. filios Antipatri, quorum secundus erat Herodes, fuisse ab ipso Antipatro Aretæ regi commendatos, dum ipse bellum gereret contra Aristobolum,

---

(a) *Lib.* 15. *antiquit. cap.* 6. *al.* 10.

lum, hoc est anno V. C. 688. Herodes ergo hoc anno vivebat. Si ergo illi commissa est Galilæa anno urbis 707., patet tunc multo plurium annorum, quam 15. fuisse. Imo cum anno V. C. 688. viveret etiam Ferora Herodis frater minor, quem non est verisimile fuisse lactentem, cum in regnum Aretæ deportatus est, consequenter optime Herodi tribuuntur 5. anni, quo posito anno urbis 707. annum 25. jam attigerat. Dicendum ergo mendum irrepsisse in textum Josephi (vel postea ipse memoria lapsus sit, vel hoc evenerit incuria Amanuensium) & legendum esse *annorum* 25. non 15. Et sane vel vitiatus dicendus est hic locus, vel vitiata plura alia, in quibus adhibitis calculis ex Josepho sibi semper constante eruitur Herodem serius mortuum non esse anno 41. Augusti. Quis autem dicat mendum potius irrepsisse in hæc plura, quam in illum unum? Ergo &c.

Si ergo Christus natus est anno 40. Augusti, patet jam illum natum esse anno 41. Juliano, quarto Olympiadis 193., ab urbe condita 749., quadriennio solido ante primum annum æræ vulgaris, hæ namque chronologicæ notæ omnes anno 40. Augusti conveniunt, ut patet, si adhibeatur calculus juxta tertium notandum.

ARTICULUS SECUNDUS.

Noto 1. hos a S. Luca (*a*) assignari characteres temporis baptismi Christi, quod scilicet S. Joannis Baptistæ prædicatio, quam subsecutus est Christi baptismus, cæperit anno 15 imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, & quod Christus tunc esset quasi annorum 30. *Anno quintodecimo*, inquit ipse, *imperii Tiberii Cæsaris procurante Pontio Pilato Judæam . . . . factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ fi-*

(a) *Luca* 3.

filium in deserto, & venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ ... factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato & orante apertum est cœlum ..: & ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta.

Noto 2. duplicem a plurimis doctissimis recentioribus distingui epocham imperii Tiberii. Alteram quæ dicitur imperii *Augustæi* deductam scilicet ex tempore, quo mortuo Augusto Tiberius Imperator renunciatus est, & hæc incidit in annum V. C. 767., qui est 14. æræ vulgaris, cum hoc anno die 19. Augusti Octavianus Augustus, postquam regnasset 57. annis, 5 mensibus, & aliquot diebus, mortuus sit. Alteram, quæ dicitur Imperii *proconsularis*, deductam scilicet ex tempore, quo fuit ex decreto Consulum & Senatus factus collega in imperio ipsi Augusto adhuc viventi, & hæc per alios incidit in annum imperii Augusti 54., qui est 10. æræ vulgaris, per alios in annum 55. Augusti, qui est æræ vulgaris 11. per alios in annum 56. Augusti, 12. æræ vulgaris, & tandem per alios in proxime sequentem.

Noto 3. Pilatum ex Josepho (*a*) per decennium Judæam administrasse, quo exacto Romam proficisci coactus est, ut coram Tiberio responderet Judæis de multis criminibus illum accusantibus, sed cum Romam pervenit, invenit mortuum Tiberium. Anni igitur, quibus Pilatus Judæam administravit, sunt fere postremi 10. anni Tiberii. Cum ergo Tiberius mortuus sit anno V. C. 790., qui est æræ vulgaris 37., sequitur, administrationem Judeæ habitam a Pilato desiisse anno 36. vel 37. æræ vulgaris, consequenter eam cæpisse anno 26. vel 27. ejusdem æræ.

(a) *Lib.* 18. *antiquit. cap.* 4. *al.* 5.

Noto 4. Christum baptizatum esse die 6 Januarii, quod eruitur ex constanti traditione Ecclesiæ Romanæ, cui accedunt fere omnes aliæ Ecclesiæ, & omnes ferme Patres, ut ostendit P. Berti. Scio S. Epiphanium docuisse Christum baptizatum fuisse mense Novembris; sed non est cur & traditionem supra adductam & sensum fere communem aliorum Patrum ob unius Epiphanii auctoritatem deseramus. Nec opponatur, quod inverisimile sit baptismum, qui tunc conferebatur per immersionem nudorum corporum in aqua, fuisse collatum mense Januarii, qui est frigidissimus; ℟. enim primo Judæam esse regionem temperatiorem nostris regionibus, ut docent historici, adeoque hyemem ibi non esse tam rigens ut apud nos: secundo non esse incredibile, quod baptismus tunc involveret aliquod exercitium mortificationis, cum esset baptismus pœnitentiæ, & cum Judæi, qui asperitates sectabuntur, sæpe lavacris aquæ frigidæ uterentur, ut testatur Josephus initio vitæ suæ.

Noto 5. plures esse eruditorum tum veterum, tum recentiorum sententias circa annum baptismi Christi. Eas omnes enumerare longum esset. Quidam volunt illum esse annum æræ vulgaris 26., quidam 27., quidam 28., quidam 29., quidam 30. Nec minus discordes sunt sententiæ circa ætatem Christi, cum baptizatus est. Quidam illum faciunt 29., quidam 30., quidam 31., quidam 32., quidam 33. vel 34 annorum. Quid ipse sentiam sequenti assertione declarabo, in qua claritatis gratia solum utar æra vulgari, & ætate Christi, assignaturus postea in fine articuli alias notas chronologicas anno statuendo competentes. Sit Ergo

ASSERTIO. *Probabilius Christus baptizatus est anno æræ vulgaris 28., ætatis vero suæ anno 31. completo.*

Prob. Ex una parte debet salvari, quod Joannes Baptista cœperit prædicare anno 15. Tiberii, quam prædicationem sequutum est baptisma Christi, ex alia quod Christus, cum baptizatus est, fue-

ſuerit annorum circiter 30. ut patet ex prænotatis. Non autem melius utrumque salvatur, quam posita assertione supra statuta; sic enim, cum Jesus supponatur baptizatus mense Januarii anni 15. imperii Augustæi Tiberii, intra quem annum, ut hic sumitur a D. Luca, antecedenter cœperat prædicatio Joannis, jam baptizatus dicitur anno 28. æræ vulgaris, & 781. V. C. talis est enim annus 15. imperii Augustæi Tiberii; cumque a Decembri anni 40. Augusti, quo in superiore assertione statui Christum natum esse, usque ad 6. Januarii (qua die ex traditione Christus est baptizatus) anni 15. imperii Augustæi Tiberii sint 31. anni completi, jam Christus dicendus est baptizatus, cum esset annorum 31. completorum. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Assignato baptismo Christi anno 28. æræ vulgaris, jam non potest statui initium prædicationis S. Joannis intra annum 15. Imperii Tiberii, & ætas Christi protrahitur plusquam debet protrahi. Ergo &c. Prob. antecedens quoad primam partem. Initium prædicationis S. Joannis uno saltem anno præcessit baptismum Christi, antequam enim Christus baptizatus sit, Joannes prædicaverat *in omni regione Jordanis* (*a*), & tantam sibi comparaverat sanctitatis famam, ut ex tota Judæa ad illum confluerent populi baptizandi, quæ omnia unius saltem anni spatium requirunt. Si ergo Christus baptizatus est anno 28. æræ vulgaris, initium prædicationis Joannis debebit statui anno 27. ejusdem æræ, & quidem versus initium, cum etiam initio anni 28., nimirum die 6. Januarii Christus fuerit baptizatus. Porro initio anni 27. æræ vulgaris nondum fluebat annus 15. imperii Tiberii Cæsaris; nam hoc cœpit a morte Octaviani Augusti, quæ accidit die 19. mensis Augusti anni 14. æræ christianæ.

(a) *Lucæ* 3.

Solum igitur mense Augusti anni 28. æræ vulgaris cœpit annus 15. imperii Tiberii, consequenter initio anni 27. nondum incœperat. Ergo &c. Prob. postea antecedens quoad secundam partem. Assignato baptismate Christi anno 28. æræ vulgaris jam Christus, cum accessit ad baptismum, erat annorum 31. completorum. Hoc autem repugnat Evangelio dicenti ipsum tunc vix cœpisse annum trigesimum: *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta*. Ergo &c.

II. Eo anno, quo Christus est baptizatus, Pascha illud peregit, de quo Jo. 2. Atqui annus, quo Chtistus hoc Pascha peregit, non fuit annus 28. æræ vulgaris. Ergo &c. Prob. minor. Anno hujus Paschatis effluxerant ab initio reædificationis Templi 46 anni; nam, cum Christus hoc Paschate dixisset Judæis (a): *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, hi responderunt: *Quadraginta & sex annis ædifieatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* quorum verborum testantibus clarissimis viris Usserio, Norisio, Petavio, Lamy, Moniglia hic est sensus: 46. *annis hactenus hoc templum ædificatum est*. Templi autem reædificatio cæpta est ab Herode anno 18. regni sui ex Josepho (b). Ab hoc anno 18. computando 46. annos, non incidimus in annum æræ vulgaris 28. Nam vel hic annus 18. computatur ab inauguratione Herodis in regem, vel a nece Antigoni. Si primum, incidit in annum V. C. 731., a quo, numerando 46. annos, pervenimus ad annum V. C. 777., qui fuit æræ christianæ 24. Si alterum, incidit in annum V. C 734., a quo, numerando 46. annos, pervenimus ad annum V. C. 780., qui fuit æræ Christianæ 27. Ergo &c.

Ad

(a) *Jo.* 2.
(b) *Lib.* 15. *antiquit. cap.* 11. *al.* 14.

Ad I. antequam respondeam, noto plures doctissimos viros ad evitandas has difficultates contendere, quod annus 15. imperii Tiberii, de quo Lucas, sit annus 15. imperii non Augustæi, sed Proconsularis ejusdem Tiberii, cujus imperii Proconsularis epocha, cum sit aliquibus annis prior epocha imperii Augustæi, hinc facile salvant & annum prædicationis Joannis ante baptismum Christi, & ipsum baptismum anno trigesimo ineunte ipsius Christi. Hanc quidem sententiam veneror, sed non amplector. Primo enim omnes Scriptores antiqui loquentes de imperio Tiberii illud auspicantur a morte Augusti. Cur ergo dicamus S. Lucam solum aliud initium hujus imperii invexisse? Sane Tacitus (*a*) narrat Liviæ matris Tiberii artes ad occultandam mortem Augusti, ut imperio secure potiretur Tiberius: dicit primum facinus novi principatus Tiberii post mortem Augusti fuisse cædem Agrippæ: primos post eandem mortem jurasse in verba Tiberii Consules illius anni: Tiberium fere reluctantem suscepisse imperium; quæ omnia supponunt ante mortem Augusti imperio Tiberium non fuisse potitum. Rursus Spartianus (*b*) testatur M. Aurelium, & L. Verum *eos fuisse, qui duo pariter Augusti primi Rempublicam gubernarunt*. Ergo non ante ipsos Octavianus Augustus & Tiberius. Accedit quod alii quoque præter Tiberium proconsulare imperium adepti sunt, ut inter alios Germanicus Drusi filius id adeptus est a Senatu postulante Tiberio, qui ipsum adoptaverat, nec tamen unquam ipse inter Imperatores relatus est. Tandem etsi per hoc proconsulare imperium fuisset Tiberius designatus successor Augusti, non tamen per hoc vere imperium capessivit, adeoque ab acquisitione talis dignitatis non possunt numerari anni ipsius imperii. Hac ergo sententia dimissa.

F 4 R. Ne-

(a) *Lib.* I. *annal.* (b) *In Hadriano.*

℟. Negando antecedens primi argumenti, & ad probationem primæ partis ejusdem antecedentis dicendo initium prædicationis S. Joannis non antecessisse uno anno, sed duobus vel tribus ad summum mensibus baptismum Christi; hoc enim spatium temporis abunde sufficiebat, ut Joannes maximam sibi captaret sanctitatis famam, atque ad eum ex omni Judæa confluerent populi baptizandi. Ex quo patet non ad initium, sed ad finem anni 27. æræ vulgaris revocandum esse initium prædicationis Joannis. Tunc autem poterat S. Lucas asserere currere annum 15. imperii Augustæi Tiberii. Ut enim supra notavi, consuetum fuit Scriptoribus annos incompletos sumere pro completis, atque anni initium juxta consuetudinem propriæ regionis assignare: quo posito, cum Syri annum auspicarentur ab autumno, poterat S. Lucas utpote Syrus hunc morem sequendo sumere pro primo anno Tiberii illud spatium, quod intercessit inter mortem Augusti habitam mense Augusti anni 14. æræ vulgaris & autumnum ejusdem anni, sicque ab hoc autumno ordiri secundum annum Tiberii, quo posito incipiebat annus 15. imperii Tiberii autumno anni 27. æræ vulgaris, quo tempore incæpta prædicatio Joannis poterat dici incœpta anno 15. imperii Tiberii.

Ad probationem secundæ partis ℟. non repugnare Evangelio, quod Jesus dicatur annorum 31. completorum, cum est baptizatus. Vel enim consideratur illud *incipiens*, vel illud *quasi annorum triginta*. Si primum, dico illud referri non ad ætatem Christi, sed ad illius prædicationem, ita ut sit sensus, Christi prædicationem cæpisse ab illius baptismo. Patet hoc primo ex contextu; nam initio capitis narratur initium prædicationis S. Joannis, deinde subditur, *& ipse Jesus erat incipiens &c.* quod litteralissime explicatur de initio prædicationis ipsius Christi. Secundo S. Lucas videtur hic sumere illud *incipiens* eodem sensu, quo sumit in Actis, ubi ait (a): *In omni*

(a) *Cap.* 1.

omni tempore, quo intravit & exivit inter nos Dominus Jesus, incipiens a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est a nobis. Hic autem illud refert ad initium prædicationis Christi. Ergo etiam in Evangelio. Particula porro *quasi* aliquando denotat diminutionem potius, quam ampliationem, ut cum dicitur (*a*): *Hora erat quasi decima*: & infra: *Hora erat quasi sexta*: & postea: *Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta*: aliquando etiam denotat rei veritatem, ut cum dicitur (*b*): *Vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti*. Rursus aliquando etiam denotat ampliationem, ut cum idem Lucas (*c*) & Joannes (*d*) narrantes miraculum, quo Christus ex 5. panibus multiplicatis satiavit turbas, dicunt: *Erant autem viri fere quinque millia. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque milia*, sensus est fuisse plusquam quinque millia; nam Matthæus narrans idem miraculum expresse dicit (*e*): *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus & parvulis*: & cum narratur aliud simile miraculum a Christo de multiplicatione 7. panum, Marcus ait (*f*): *Erant autem qui manducaverunt quasi quatuor millia*, quos tamen plusquam quatuormillia fuisse docet Matthæus inquiens (*g*): *Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos & mulieres*. Cohærenter ad hæc contendo particulam *quasi* in nostro casu idem denotare ac *circiter, plus minus*, quod optime verificatur etiam in hypothesi assertionis; nam de eo, qui jam explevit annum 31., dici potest eum fuisse annorum *circiter, plus minus* 30., qua in re sequor S. Justinum, qui in Dialogo

(a) *Jo.* 1. 4. & 19.
(b) *Jo.* 1.
(c) *Cap.* 9
(d) *Cap.* 6.
(e) *Cap.* 14.
(f) *Cap.* 8.
(g) *Cap.* 15.

logo cum Triphone scribit Christum baptizatum esse, *cum haberet annos plus minus triginta*. Ideo autem S. Lucas non protulit exactiorem notionem ætatis Christi, quia numero rotundo uti voluit, quod alios quoque Scriptores etiam sacros fecisse innumeris posset exemplis comprobari.

Ad II. ℞. in primis non esse certum, quod Jo. 2. fiat sermo de 46 annis elapsis a principio instaurationis templi factæ per Herodem usque ad tempus, quo Judæi loquebantur; plures enim contendunt his 46. annis comprehendi distincta & separata temporis intervalla, quæ insumpta sunt tum in ædificatione templi, quæ primo facta est a Zorobabele, tum in additionibus ipsi factis a Machabæis, tum in illis, quæ factæ sunt ab Herode: sed etiam hoc omisso ℞ potuisse verificari 46. annos effluxisse ab initio reædificationis templi factæ per Herodem usque ad annum 28. æræ vulgaris. Primo enim quomodo probabitur ædificationem templi ab Herode cœptam fuisse jugiter & sine intermissione continuatam? Sane mortuo Herode, & diviso ejus regno inter filios, nullus ex illis tantum opibus & potentia valuit, quantum Herodes, nullus pariter ex illis patrem æquavit strenuitate & diligentia in magnis rebus perficiendis. Potuit ergo vel ob defectum pecuniæ, vel ex incuria filiorum Herodis (addamus etiam ex quo redacta post exilium Archelai in provinciam Romanam Judæa, qui postea gubernarunt Gentiles nullatenus solliciti erant de complemento templi) per aliquot annos intermitti ædificatio, quibus annis non computatis redigi potest tempus hujus reædificationis ad 46. annos. Addo quod nulla est necessitas asserendi 46. annos completos esse ipso anno 25. æræ vulgaris; potuerunt enim antea compleri, & postea (dato tunc otio alicujus anni) præbere occasionem dicendi anno 28. annos 46. insumptos usque adhuc fuisse in ædificatione templi. Quæ omnia si valent pro hypothesi statuente initium reædificationis templi anno 18. Herodis ab illius electione

per

per Romanos facta, multo magis valent si annus hic 18. computetur a morte Antigoni; tunc enim, cum ad unicum annum reducatur difficultas, hæc facile tollitur vel statuendo anno 18. Herodem consilium cœpisse de reædificatiene templi, & præparasse necessaria ad illam, quam postea anno 19. aggressus est; vel incipiendo annos regni Herodis ab autumno (in quem incidit tum ipsius electio facta a Romanis, tum mors Antigoni) quo posito principium hujus anni incidit quidem in annum V. C. 734., sed finis incidit in annum 735., adeoque si dicamus vere hujus anni 735. Herodem cœpisse reædificationem templi, illam de facto incœpit anno 735. a quo numerando 46. annos incidimus in annum V. C. 781., qui est annus 28. æræ vulgaris.

Obj. ex Conciliis. Neocæsariense (*a*) statuit, *ne quis presbyter ordinetur*, *nisi triginta ætatis annos impleverit*, *quoniam & Dominus trigesimo anno baptizatus est*. Christus ergo ex Neocæsariensi anno 30. vel ineunte vel completo baptizatus est, consequenter non expleto anno 31. Ergo &c.

℟. mentem Neocæsariensis esse tantum Christum non ante trigesimum annum fuisse baptizatum, quidquid sit utrum post ipsum baptizatus fuerit; cum enim prohibeat, ne presbyter ordinetur ante trigesimum annum, non post ipsum, sollicitum tantum esse debebat, quod Christus non fuerit baptizatus ante annum 30., non vero post ipsum. Addi posset fortasse Patres Neocæsarienses fuisse in sententia, quod Christus anno ipso 30. fuerit baptizatus: sed in his quæstionibus, in quibus maxima est etiam inter Patres divisio, ab auctoritate præcise unius partis ex illis non cogimur ad unum potius, quam aliud asserendum.

(a) *Can.* 17.

Statuto ergo quod Cristus baptizatus sit anno 28. æræ vulgaris, jam debet dici baptizatus anno Juliano 73., V. C. 781 & 4. Olympiadis 201., hæ enim notæ omnes anno 28. æræ vulgaris competunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Noto 1. varias esse sententias tum antiquorum, tum recentiorum circa annum Christi emortualem. Omissis minus celebribus alia assignat Christi mortem anno æræ vulgaris 28. Ita inter recentiores Blanchinius, & inter antiquos Hegesippus, & Victorinus Aquitanus. Alia anno 29. & hæc fuit communior inter antiquos, & nominatim fuit Tertulliani, Lactantii & S. Augustini, estque plurium doctissimorum recentiorum, ut Henschenii, Pagii, Norisii, Gravesonii &c. Alia anno 30. æræ vulgaris, quam propugnat Cl. P. Moniglia. Alia anno 31., alia anno 33., alia anno 34. ejusdem æræ. Ut omittam sententiam S. Irenæi, qui, cum docuerit Christum mortuum esse post annum ætatis 40., consequenter ultra annum 34. æræ vulgaris distulit mortem Christi.

Noto 2. definitionem hujus quæstionis magna ex parte dependere ex numero Paschatum, quæ Christus peregit post baptismum; cum enim unum Pascha quotannis celebraretur, dato tali determinato numero Paschatum colligitur etiam determinatus numerus annorum. Numerus vero hic Paschatum controvertitur. Celebriores sunt duæ sententiæ, quarum una quatuor, alia tria tantum Paschata post baptismum a Christo celebrata contendit. Hæc posterior mihi videtur probabilior; S. enim Joannes, qui aliis Evangelistis distinctius Paschata a Christo post baptismum celebrata recensuit, tria tantum commemorat: primum cap. 2. ubi postquam antecedenter narrasset baptismum Christi, miraculum ab ipso factum in nuptiis Canæ Galilææ, descensumque ipsius in Capharnaum, subdit: *Et prope erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam . . . .*

Cum

Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo multi crediderunt in nomine ejus: secundum cap. 6. ubi ait: *Erat autem proximum Pascha dies festus Judæorum*: tertium cap. 13. ubi ait: *Ante diem festum Paschæ sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem &c.* & in hoc Paschate ipse Christus fuit crucifixus.

Noto 3. illos, qui stant pro quaternario numero Paschatum contendere inter primum & secundum supra commemoratum aliud interjiciendum esse, nimirum illud, de quo Joannes cap. 5. ait: *Post hæc erat dies festus Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam*; nomine enim *diei festi* intelligi volunt Pascha, quod probant tum ex verbis, quæ Christus antecedenter (*a*) protulit: *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos vestros & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem*. Hæc enim denotant tempus messis fuisse ab eo, quo Christus loquebatur, distans 4. mensibus, quod optime quadrat tempori Paschali: tum ex pluribus Patribus id docentibus, ut est Irenæus, Eusebius, Hieronymus, & Theodoretus. Ex hoc autem Paschate cum tribus aliis supra assignatis quatuor constituuntur. Sed verisimilius dies hic festus fuit diversus a Paschate; primo enim S. Joannes aliis in locis, cum de festo paschali egit, illud semper Pascha appellavit. Cur ergo hoc loco tantum illud simpliciter *festum* appellasset? secundo si hoc festum fuisset Pascha, jam S. Joannes duo Christi Paschata simul conjunxisset, nimirum hoc, quod capite 5. commemorat, & aliud, quod commemorat initio capitis 6. nulla commemorata actione Christi anno intermedio, nisi sanatione languidi jacentis ad probaticam piscinam, & colloquio

(a) *Cap.* 4.

quio hac occasione habito cum Judæis, quasi hoc anno nihil aliud Christus notatu dignum fecisset, cum tamen videamus Evangelistam alia Paschata ita dividere, ut plura narret, quæ inter unum, & aliud a Christo gesta sunt. Verba autem Christi: *Nonne vos dicitis* &c. notante Lamy & Moniglia juxta vim textus græci non denotant distantiam 4. mensium a tempore messis, sed solum tempus messis comprehendi 4. mensibus (& de facto apud Hebræos dimidio mensis Nisan post oblatum manipulum incipiebat messis hordacea, & fere post duos menses, nimirum in Pentecoste, incipiebat messis tritica, quæ etiam per subsequentem mensem; & amplius durabat) unde illis verbis denotatur proverbium, quod adhibebant Hebræi ad denotandum *superesse tempus rem complendi*, *opus non esse festinatione*. Sane Christum proverbium hoc denotasse ostendunt illa verba: *Nonne vos dicitis?* Si porro verba subsequentia; *Ecce dico vobis &c.* litteraliter vellemus intelligere, invictum contra sententiam adversariorum suppeditarent argumentum; si enim tunc regiones albæ jam erant ad messem, procul dubio non erat tempus paschale, quod cum incideret in initium veris, non poterat præbere segetes albas ad messem. Sed quoniam probabilius dicta verba intelligenda sunt metaphorice, dico his Christum denotasse non esse in negotio prædicationis evangelicæ procrastinandum, quasi ita Christus loqueretur: apud vos transiit in proverbium opus non esse festinare in colligendis messibus, quia 4. mensium spatium datur ad hoc peragendum: sed ego dico vobis messes jam esse maturas, idest tempus instare, ut annuncietur verbum Dei. Auctoritati autem Patrum stantium pro Adversariis alios Patres opponimus stantes pro nobis, & nominatim Epiphanium, Prosperum, Origenem, & Cyrillum ut omittam doctissimos Chronologos recentiores, Petavium, Norisium, Pagium, Lamy, Moniglia &c. Probabilius ergo festum illud, de quo Jo.

5.

5., non fuit Pascha. Quodnam autem fuerit, incertum est. Petavius & Lamy putant fuisse festum dictum *Purim* seu *sortium*, Maldonatus cum Chrysostomo, Theophylacto, & Cyrillo Alexandrino fuisse Pentecosten. Quodcumque illud fuerit, sufficit si non fuerit Pascha.

Noto 4. certum esse tum ex Scripturis, tum ex traditione Christum mortuum esse feria sexta. Cum autem mortuus sit in die solemni Paschæ Judæorum, quæ incidebat in 15. diem Lunæ mensis Nisan, consequens est, ut anno mortis Christi dies hic 15. inciderit in 6. feriam. Constat autem ex tabulis astronomicis apud Lamy & Monigliam nullo annorum, de quibus potest institui quæstio an fuerit emortualis Christi, 15. diem Lunæ mensis Nisan potuisse incidere in feriam 6. nisi anno 30. & 33. æræ vulgaris. His prænotatis sit

ASSERTIO. *Christus probabilius mortuus est anno 30. æræ vulgaris.*

Prob. I. ex assertione antecedente. Christus baptizatus est anno 28. æræ vulgaris. Tria postea Paschata peregit ex prænotatis, primum eodem anno 28., alterum anno 29., tertium anno 30., & in hoc fuit crucifixus. Ergo anno 30. mortuus est. II. ex prænotatis anno, quo Christus mortuus est, Luna 15. mensis Nisan incidit in feriam 6. Ergo fuit annus vel 30. vel 33. Non 33., alias Christus 6. Paschata debuisset a baptismo celebrare, & præterea fuisset tunc ætatis annorum fere 36., quod est contra fere communem traditionem Ecclesiæ putantis Christum 33. solum annis vixisse. Ergo remanet ut fuerit annus 30.

Præcipuæ objectiones ad tres possunt classes revocari, prima ad eas, quæ præcise probant Christum non esse mortuum anno 30 æræ vulgaris, secunda ad eas, quæ favent determinato anno 29., tertia ad eas, quæ determinate favent anno 38. Ex primo igitur capite

Obj.

Obj. I. Plurimi Patres apud Berti (*a*) docent Christum mortuum esse eadem die, qua incarnatus est, idest 25. Martii, quod non potest verificari de anno 30. æræ vulgaris; nam hoc anno solemnitas Paschalis incidit in mensem Aprilis, ut constat ex sæpe laudatis tabulis astronomicis. Cum proinde Christus mortuus sit in hac solemnitate, dicendus esset mortuus mense Aprilis. Non ergo 25. Martii.

II. erat traditio Ecclesiæ ab ipsis Apostolis derivata & in Evangelio fundata, quod Christus, cum mortuus est, declinasset in senium. Hujus traditionis testis est S. Irenæus, qui ait: (*b*) *A quadragesimo & quinquagesimo anno* (ætas) *declinat jam in ætatem seniorem, quam habens Dominus noster docebat, sicut evangelium, & omnes seniores testantur, qui in Asia apud Joannem discipulum Domini convenerunt, idipsum tradidisse eis Joannem . . . . Quidam autem eorum non solum Joannem, sed & alios Apostolos viderunt, & hæc eadem ab ipsis audierunt & testantur de ejusmodi relatione*: & infra (*c*) adductis verbis Pharisæorum ad Christum: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* subdit: *Hoc . . . dicitur ei, qui jam* 40. *annos excessit*, 50. *autem annum nondum attigit, non tamen multum a quinquagesimo anno abstitat*. Ergo &c.

Ad I. ℞. horum Patrum sententiam stricte sumptam nullatenus sustineri posse; constat enim ex laudatis tabulis astronomicis nullo anno ex iis, intra quos certo contigit mors Christi, plenilunium, adeoque solemnitatem paschalem incidisse in diem 25. Martii. Sane anno 28. æræ vul-

(a) *De theologic. discipl. lib.* 29. *cap.* 7.
(b) *Lib.* 2. *contr. hæreses. cap.* 22. *al.* 38.
(c) *Eodem cap.* 22. *al.* 40.

vulgaris plenilunium contingit 29. Martii, anno 29. die 17. Aprilis, anno 30. die 6. Aprilis anno 31. die 27. Martii, anno 32. die 14. Aprilis, anno 33. die 3. Aprilis. Ergo &c. Dixi nullo modo suſtineri poſſe ſententiam hanc Patrum *ſtricte ſumptam*, ideſt conſideratam ut aſſignat mortem Chriſti die 25. noſtri Martii; conſiderata enim juxta ritum Eccleſiaſticum Hebræorum dicit Moniglia aliquo modo etiam in noſtra ſententia verificari, cum anno 40. Auguſti, quo accidit conceptio Chriſti, ſolemnitas Azymorum inciderit in diem 24. Martii, in feriam ſextam, ut conſtat ex laudatis tabulis aſtronomicis, adeoque inciderit in illud idem tempus ſumptum juxta ritum eccleſiaſticum, quo accidit mors Chriſti: dies autem 24. Martii, & 25, quo accidit Chriſti conceptio, tam ſunt conjuncti, ut idem dies, & tempus moraliter dici poſſint.

Ad II. ℟. traditionem hanc a S. Irenæo adductam eſſe omnino fabuloſam & communiter rejectam; repugnat enim expreſſe Evangelio docenti Chriſtum paſſum eſſe Pilato Judææ præſide, qui tamen Pilatus fuit a Judæa amotus anno æræ vulgaris 37., quo tempore Chriſtus non potuiſſet dici proximus anno ætatis 50., cum vix tunc exceſſiſſet annum quadrageſimum. Deceptus eſt igitur S. Irenæus ex illo dicto Phariſæorum *quinquaginta annos*, quod & a S. Joanne allatum, & probabiliter etiam ab aliis Apoſtolis repetitum fecit, ut plures, inter quos S. Ireneus, prætenſam ætatem fere 50. annorum Chriſto tribuerit. Nec eſt inveriſimile quod aliqui ſuſpicantur, auctorem hujus fabuloſæ traditionis fuiſſe Papiam Joannis diſcipulum, virum, ut inquit Euſebius, tenuis ingenii, qui alias ſimiles traditiones fabuloſas tanquam ab Apoſtolis acceptas venditavit, ut eſt inter alias traditio de millenario Chriſti regno. Ergo &c. Ex ſecundo capite.

Obj. I. Major pars Patrum iique inſigniores & antiquiores aſſerunt Chriſtum mortuum eſſe

Coſs.

Coss. duobus Geminis, quorum consulatus incidit in annum æræ vulgaris 29. Ergo &c.

II. Ex una parte S. Petrus fuit Romæ occisus anno 66. æræ vulgaris; fuit enim occisus probabilius 12. Neronis anno (& hoc patet ex quo, cum fatentibus omnibus fuerit occisus postremis annis imperii Neronis, qui regnavit 14. annis, non potest dici occisus anno 14. Neronis, quia die 29. Junii hujus anni, quo die contigit martyrium S. Petri, Nero amplius non vivebat. occisus enim fuit die 9. Junii: nec potest dici occisus S. Petrus anno 13. Neronis; toto enim hoc anno Nero Roma abfuit, cum tamen tempore mortis S. Petri Romæ fuerit. Restat ergo ut fuerit occisus anno Neronis 12.). Annus autem Neronis 12. fuit annus 66. æræ vulgaris. Ex alia parte S. Petrus vixit post mortem Christi 37. annis; nam per 12. annos moratus est in Judæa juxta præceptum, quod Apostolis fecerat Christus, nè in intra 12. annos discederent a Judæa, de quo præcepto habetur traditio apud Eusebium, & Clementem Alexandrinum. Romam postea profectus est, ibique 25. annis sedit, quod pariter nos docet traditio. Si ergo 37. annos demamus ex 66., incidimus in annum 29. æræ vulgaris, quo Christus mortuus dicendus est.

III. Produxit Eusebius (*a*) ex tabulis Edessenis duas epistolas, alteram Abgari Principis Edessenorum ad Christum, in qua ipsum rogabat, ut ad se veniret ejus morbum sanaturus, alteram Christi ad Abgarum, in qua ipsi promittebat se post ascensionem missurum unum ex discipulis, in cujus promissionis executionem missus postea fuit Taddæus. Hæc autem contigisse narrantur anno 340. æræ Edessenorum, qui est anus 29. æræ vulgaris; constat enim ex ipso

---

(a) *Lib.* I. *histor. eccles. cap.* 13.

so Eusebio æram Edessenorum cœpisse anno I. Olympiadis 117., a quo anno numeratis annis 340. pervenitur ad annum primum Olympiadis 202., qui fuit æræ Christianæ 29. Hoc ergo anno missus fuit Edessam Taddæus, quod cum contigerit statim post ascensionem Christi, sequitur huic anno consignandam esse hanc ascensionem, & consequenter mortem.

IV. Excidium Hierosolymitanum ex Josepho (*a*) contigit autumno secundi anni imperii Vespasiani, qui annus fuit 70. æræ vulgaris. Hic autem anus fuit 42. a morte Christi juxta Clementem Alexandrinum, Origenem, & S. Hieronymum, quod ut verificetur, debet consignari mors Christi anno 29. æræ vulgaris.

Ad I. ℟. advertendo in primis hanc sententiam non fuisse communem, ut constat ex prænotatis, nec defuisse qui mortem Christi expresse posuerint sub aliis Consulibus, ut est S. Epiphanius, qui ait: (*b*) *Succeessere Coss. Vinicius ac Longinus Cassius, sub quibus Salvator passus est*: horum autem consulatus incidit in annum 30., quæ eadem fuit sententia Julii Africani teste Petavio (*c*). Fateor nihilominus sententiam statuentem mortem Christi sub consulatu duorum Geminorum fuisse etiam inter Patres communiorem. Sed nè ipsi acquiescam facit maxime quod anno ejusmodi consulatus, scilicet 29., luna 15. mensis Nisan non inciderit in feriam sextam, ut constat ex laudatis tabulis astronomicis apud Lamy, adeoque non in diem mortis Christi. Reponunt quidem stantes pro anno 29. Judæos tempore Christi exactis calculis astronomi-

(a) *Lib. 6. de bello cap. 10. ol. 18.*
(b) *Lib. 2. advers. hæreses hæres. Algorum, quæ est 51 n. 23.*
(c) *Lib. 8. auctar. cap. 2.*

micis usos non fuiſse, adduntque aliqui Judæos tunc compulsos fuiſse ab Herode, ut lunationes computarent more Romanorum, juxta quos luna 15. mensis Nisan anno 29. incidit in feriam sextam. Sed hæ responsiones non satis tollunt difficultatem. Si enim solum contendatur Judæos novilunia non astronomice a conjunctione lunæ cum sole, sed populariter a prima ejus phase sive apparitione desumpſiſſe, hoc utique concedam: sed cum hæc prima apparitio uno tantum vel ad summum duobus diebus posterior sit conjunctione illius cum sole, sequitur, quod dies etiam popularis 15. Lunæ non potuerit deferri ultra unum, vel ad summum alterum diem ab astronomico die 15. consequenter cum anno 29. novilunium astronomicum mensis Nisan inciderit in sero diei 2. Aprilis (quo posito Luna 15. astronomice cœpit in sero diei 16.) etsi non astronomice, sed populariter acceptum sit novilunium, adeoque inciderit in diem 3 vel 4. Aprilis, plenilunium non poterit differri ultra diem 17. vel 18., & cum dies 17. Aprilis anni 29. ex laudatis tabulis fuerit dominica, dies autem 18. fuerit feria secunda, sequitur nullo modo potuiſse lunam 15. incidere in feriam sextam.

Quo loco obiter notare præstat Hebræos mensem Nisan, qui erat primus anni sacri, consuevisse exordiri a prima die lunæ, cujus mensualis cursus maxima parte erat posterior æquinoctio verno, unde mensis hic modo prius, modo posterius incipiebat, & ut plurimum complectebatur aliquam partem nostri Martii, aliquam itidem partem nostri Aprilis.

Ubi etiam notant aliqui potuiſſe existimantes Christum mortuum esse anno 30. æræ vulgaris, hanc mortem notare consulatu duorum Geminorum. Ii nimirum, qui annum Syrorum more auspicabantur ab autumno, annum consequenter mortis Christi potuerunt notare illo consulatu, sub quo idem annus incipiebat, sicque cum

hic

hic annus in tali hypothesi inciperet sub consulatu duorum Geminorum (novi enim Consules Kalendis solum Januarii consulatum obibant); ideo annum mortis Christi licet 30. æræ vulgaris notare potuerunt consulatu antecedenti, quem, ut dixi, gesserunt duo Gemini.

Herodem porro Judæis proposuisse lunationes observandas Romano more non diffiteor. Sed vel hic mos adhibitus fuit solum pro negotiis civilibus, vel ersi universaliter adhibitus, post mortem Herodis cessavit, & rediit antiquus. Quis enim credat Judæos ritibus propriæ religionis fere usque ad superstitionem addictissimos voluisse in gratiam Herodis & Romanorum immutare, vel immutatas diu remanere sedes festorum divina expressa lege statutas? Enimvero de solemnitate paschali, quæ erat præcipua & regula omnium aliarum, ita loquitur Deus: (*a*) *Mense primo quartadecima die mensis ad vesperam phase Domini est, & quintodecima die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est:* quomodo autem potuisse dici dies 15. quæ neque talis erat a conjunctione lunæ cum sole, neque ab ejus prima apparitione? Accedit quod nullus ex veteribus narravit, mutatas fuisse tempore Herodis sedes festorum. Accedit insuper quod doctissimi Hebræorum apud Berti (*b*) unanimiter fatentur hunc fuisse constantem morem Hebræorum, ut novilunia a prima lunæ apparitione computarent, quo posito dies lunæ non poterant immutari, cum deberent semper numerari ipsas referendo ad novilunia. Accedit tandem quod Philo, qui vixit sub Tiberio & Cajo, adeoque fuit coævus ipsi Christo, expresse docet (*c*) *Pascha immo-*

(a) *Levit.* 23.
(b) *De theologic. disciplin. lib.* 33. *cap.* 1.
(c) *Lib.* 3. *de vita Moysis, & de septen.*

immolari solitum quartadecima die, cum luna plena esse incipit, quod indicat in festis Judæos etiam tempore Christi servasse apparentias lunæ. Jure ergo dixi morem Romanum observandi lunationes Judæis ab Herode propositum vel non fuisse adhibitum a Judæis nisi pro rebus civilibus, vel etsi universaliter adhibitum, post mortem Herodis cessasse, & antiquum rediisse.

Ad II. ℞. Traditionem de sessione habita Romæ a S. Petro per 25. annos non illos statuere completos; unice enim docet ipsum occisum fuisse anno 25. sessionis Romæ, quod tum de anno completo, tum de inchoato dici potest. Hoc autem posito non 37. anni ex 66. demendi sunt, sed tantum 36. cum aliquibus mensibus vel diebus, sicque remanent anni 30. æræ vulgaris. Et sane supponamus Christum mortuum esse vere anni 30. æræ vulgaris, & S. Petrum in Judæa mansisse 12. annis a morte Christi, sicque illinc tantum discessisse vere anni 42. æræ vulgaris, atque Romam pervenisse versus finem veris ejusdem anni: ab hoc tempore cœpit sessio ipsius Romæ, & in fine veris anni 66. completi sunt anni 24. sessionis, cœpitque annus 25. Si ergo initio æstatis ejusdem anni 25. supponatur S. Petrus occisus, hæc occisio incidit in annum 25 sessionis incœptum. En omnia salvata etiam in nostra sententia. Ergo &c.

Ad III. ℞. Totam hanc objectionem niti principiis ad minimum incertis. Primo enim incertum est an subsistat factum, cum totam hanc historiam fabulosam putent plurimi viri eruditi, quorum rationes vide apud Natalem Alexandrum & Gravesonium. Secundo etsi genuinum esset factum, unde nam probabitur notam anni affixam esse missioni Taddæi, & non potius scriptioni epistolarum? Tertio etsi hæc nota affixa esset missioni Taddæi, undenam probabitur talem notam affixam esse eo ipso tempore, quo res accidit, & non potius temporibus posterioribus ab aliquo, qui eatenus tale tempus assignaverit, quatenus fuerit

rit in sententia, in qua dixi plures veteres fuisse, Christum scilicet mortuum esse sub duobus Geminis, adeoque anno 29. æræ vulgaris? Cum igitur hæc omnia incerta sint, nec possit probari rem accidisse ut asseritur in objectione, patet ex hoc facto non posse infirmari positiva momenta, quibus nititur posita assertio.

Ad IV. ℞. Adductos Patres ideo consignasse excidium Hierosolymitanum anno 42. a morte Christi, quia putabant hanc accidisse anno 29. æræ vulgaris. Sed cum supra probatum sit eos sic putando esse deceptos, nihil ex illorum auctoritate quoad hoc caput contra nos. Addo alios auspicari hos 42. annos non a morte Christi, sed ab illius baptismo, ut est Eusebius, & auctor Chronici Alexandrini. Ex tertio capite

Obj. ex Patribus pro anno 33. æræ vulgaris. Plures Patres asserunt eclypsim, quam memorat Phlegon, illam esse, quæ accidit in morte Christi. Atqui hæc non anno 30. æræ vulgaris accidit, sed potius anno 33. Nam Phlegon apud Eusebium (*a*) ait ipsam accidisse anno 4. Olympiadis 202., qui concurrit cum anno æræ vulgaris 33. Ergo &c.

℞. Probabilius utique eclypsim a Phlegonte commemoratam fuisse quæ accidit in morte Christi. At hanc non in annum quartum, sed in secundum Olympiadis 202. conjiciendam esse contendo; Julius enim Africanus, qui procul dubio legerat opus Phlegontis, & ex quo hæc excerpsit Eusebius, ait eclypsim a Phlegonte commemoratam incidisse in annum secundum Olympiadis 202., ut constat tum ex ipso Eusebio alibi (*b*), tum ex S. Hieronymo (*c*), tum ex fragmento Sincel-

(a) *In Chronico.*
(b) *Lib.* 8. *demonstrat. Evang. demonstr.* 2.
(c) *In cap.* 9. *Daniel. v.* 24.

celliano. Vel igitur in Phlegonte habebatur annus secundus Olympiadis 202., vel si habebatur annus quartus, mendum dicendum est irrepsisse in textum, qui postea ab Africano correctus est. Annus porro secundus Olympiadis 202. concurrit cum anno vulgari Christi 30. Ergo &c. Ubi tamen noto quod, cum dicitur annum 30. æræ vulgaris esse secundum Olympiadis 202., sumitur hic annus secundus proleptice; cum enim annus æræ vulgaris incipiat a Januario, & annus Olympiadicus incipiat ab æstate, jam rigorose non incipit annus secundus Olympiadis 202. nisi in æstate anni 30. ejusdem æræ, unde initium hujus anni 30. æræ vulgaris rigorose incidit in primum annum Olympiadis 202., sed proleptice, ut dixi & per anticipationem dicitur annus secundus ejusdem Olympiadis.

Si ergo Christus Dominus mortuus est anno 30. æræ vulgaris, & anno secundo Olympiadis 202., patet ipsum mortuum esse anno Juliano 75. ab urbe condita 783., anno imperii Tiberii 16., & proleptice 17. (hæ enim notæ omnes competunt anno 30. æræ vulgaris) & quidem cum Christus esset annorum 33. completorum, & insuper aliquorum mensium.

ARTICULUS QUARTUS.

Ut tandem ad id deveniam, in cujus gratiam omnia superiora præmissa sunt, statuendam est quo præcise anno initium habuerint 70. hebdomadæ Danielis, quoque anno finem.

Certum est ergo ex verbis prophetiæ initium (loquor nunc speciatim de initio, locuturus in decursu necessario ob cohærentiam materiæ etiam de fine) desumendum esse *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*. At quonam præcise anno exiit hic sermo? Pro responsione

Noto I. Marshamum Anglum contendere hunc habitum esse anno 21. captivitatis babylonicæ; tunc enim vult Gabrielem apparuisse Danieli, &

cum

cum eo supradictum colloquium instituisse, quod colloquium dicit *exitum sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*. Quod autem hoc evenerit anno 21. captivitatis, probat ex quo Daniel jam ab initio ejusdem captivitatis jejunaverat 3. hebdomadibus, quod ipse intelligit pro hebdomadibus annorum constituentibus 21. annos. Ab hoc igitur anno 21. auspicatur 7. primas hebdomadas, quo posito desinunt in annum 70. captivitatis, quo Cyrus (quem per Christum primo loco designatum vult intelligi) eandem solvit: 62. vero hebdomadas auspicatur ab initio ejusdem captivitatis, quo posito desinunt in initium regni Antiochi Epiphanis. Porro cum per 7. Antiochi annos, qui complent septuagesimam hebdomadam, idem Antiochus pacem habuerit cum Judæis, ideo Marshamus explicat illud: *confirmabit pactum multis hebdomada una*, illud autem: *in medio hebdomadæ deficiet hostia & Sacrificium* intelligit de dimidiata hebdomada 70. superaddita, qua ob persecutionem in Judæos motam ab ipso Antiocho templum profanatum est, & ablata sunt sacrificia, & prohibiti sacerdotes a proprio munere (quod denotatum vult Marshamus per illud *occidetur, vel exscindetur Christus*); cum profanatio hæc & cessatio sacrificiorum 3. circiter annis duraverint, quousque scilicet per Machabæos res Judæorum erectæ sunt. Sed hæc interpretatio sustineri non potest. I. enim repugnat verbis Christi asserentis (*a*) ætate sua vaticinium Danielis nondum fuisse impletum. II. revelatio non est facta Danieli anno 21., sed 68. captivitatis, cum facta fuerit anno primo Darii Medi (*b*) qui regnavit solum 2. annis succedente ipsi Cyro, qui primo anno regni sui babylonici solvit captivitatem. Porro

(a) *Matt.* 24.
(b) *Daniel.* 9.

ro 3. illæ hebdomadæ, quibus dicit Daniel se jejunasse, & sunt hebdomadæ dierum, ut expresse idem Daniel dicit (*a*), & licet essent annorum, nihil pro Marshamo, cum ad annum 3. Cyri referantur, aliamque visionem. III. gratis a Marshamo 70. hebdomadibus additur altera dimidia, cum medietas a Daniele indicata pertineat ad septuagesimam. IV. exitus sermonis non est colloquium angelicum, sed juxta communem edictum de reædificatione Jerusalem. V. juxta systema Marshami priores 7. hebdomadæ intra aliarum spatium includuntur, imo posteriores 62. prius incipiunt, quam septem priores, quod, ut patet, est inconveniens. VI. ipse duos Christos distinguit, cum tamen unum & eundem esse ostendat series locutionis Danielis. VII. tempore Antiochi non est impositus finis peccato, non adducta justitia sempiterna, non unctus Sanctus Sanctorum, non eversa Jerusalem, non habita permanens desolatio. Tandem Marshamus non refert prophetiam ad Christum contra sensum communem Patrum & Theologorum.

Noto 2. Harduinum aliam invexisse interpretationem. Ipse dicit 70. hebdomadas incipiendas a prophetia Jeremiæ, (*b*) qua prædixit restaurandam esse Jerusalem post captivitatem babylonicam, quæ prophetia habita est primo anno ipsius captivitatis. Ab hac dicit primo nnmerandas 7. hebdomadas, quæ desinunt in Cyrum, cum ipse regnare cœpit in Media 22. circiter annis antequam imperium babylonicum auspicaretur. Ab eodem 1. anno captivitatis dicit numerandas reliquas 62 hebdomadas, quæ desinunt in tempus, quo profanatum fuit templum ab Antiocho, medietas autem hebdomadæ 70. desinit in occisionem Oniæ summi Sacerdotis: quo posito patet dupli-

---

(a) *Daniel.* 10. (b) *Jerem.* 25.

plicem Christum distingui ab Harduino, primum scilicet Cyrum, qui advenire debebat post 7. hebdomadas, alterum Oniam, qui occidendus erat in fine 70. hebdomadarum. Nec tamen negat Harduinus prophetiam ad Chsistum referri, cum referatur ad Oniam, qui erat typus Christi. Sed neque hæc interpretatio subsistit, quam etiam postea dicitur Harduinus suppressisse I. enim litteraliter non refert prophetiam ad Jesum: II. duplicem facit Christum contra litteralem sensum prophetiæ: III. septem hebdomadas includit in 63., cum utrasque ab eodem initio repetat, quo posito non salvat sufficienter numerum 70. hebdomadarum ab exitu sermonis ad Christum: IV. exitum hunc sermonis repetit a prophetia Jeremiæ, non ab edicto de reædificatione Jerusalem: V. in morte Oniæ finem non accepit peccatum, non est adducta justitia sempiterna, non est unctus Sanctus Sanctorum: VI. post Oniam non est habita perpetua desolatio, cum surrexerint Machabæi, qui Judæorum Rempublicam & sacra restaurarunt, in quo statu restaurationis fere per 200. annos durarunt. Supposito ergo quod debeat initium hebdomadarum Danielis repeti ab edicto de reædificatione Jerusalem videndum quandonam habitum sit hoc edictum. Itaque

Noto 3. quatuor post prophetiam Danielis data fuisse a regibus Persarum edicta in gratiam Judæorum. Primum a Cyro anno 1. regni ejus in Babylonia (*a*), secundum a Dario anno 2. regni ejus (*b*), tertium ab Artaxerxe anno 7. regni ejus (*c*), quartum ab eodem Artaxerxe anno regni 20. (*d*). Cum autem inter Reges Persarum plures fuerint Darii, plures itidem Artaxerxes, contro-

(a) 1. *Esdræ* 1, & 6.
(b) 1. *Esdræ* 4. & 6.
(c) 1. *Esdræ* 7. (d) 2. *Esdræ* 2.

Josue summus Sacerdos (*a*), qui jam fuerant duces populi, cum Cyrus primo anno regni sui babylonici solvit babylonicam captivitatem (*b*), & qui profecto ad minus 30. vel 40. annorum debebant esse, ut possent fungi munere ducum. Cum ergo a 1. illo anno Cyri usque ad 2. Darii Nothi effluxerint circiter 112. anni, jam hi hoc 2. anno fuissent 140. vel 150. annorum, quod respectu illius temporis est inverisimile. Accedit quod post reædificationem templi, quæ completa est anno 6. illius Darii, qui dedit edictum, Aggæus (*c*) provocabat illos, qui viderant primum templum destructum a Nabuchodonosore ad comparandum illud cum hoc secundo: *Quis in vobis est derelictus*, inquiebat, *qui vidit domum istam in gloria sua prima & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Anno igitur 6. hujus Darii plures vivebant, qui viderant primum templum Si autem hic Darius esset Nothus, cum ab excidio primi templi usque ad illum fere 180. anni intercesserint, hi debuissent tunc esse ætatis fere 200. annorum, quod est omnino incredibile. Hæ autem rationes a fortiori militant pro secunda parte, cum Codomanus Dario Notho fuerit posterior 90. circiter annis. Darius ergo, qui dedit edictum, nec Nothus fuit, nec Codomanus. Ergo fuit Hystaspis. Scio objici I. quod, si hic fuisset Hystaspis, non ignorasset decretum Cyri permittentis reædificationem templi (ut ignorasse colligitur ex quo (*d*) fecerit hoc decretum inquiri in annalibus regni); a decreto enim Cyri usque ad 2. annum regni Hystaspis 16. solum circiter anni transierunt, quo tempore non est verisimile fuisse illius apud ipsum Darium, qui in aula Cyri fuerat educatus, vel

(a) 1. *Esdræ* 5. (b) 1. *Esdræ* 2.
(c) *Aggæi* 2. (d) 1. *Esdræ* 6.

apud ipsius ministros memoriam obliteratam: II. quod Darius auctor edicti ante se habuerit unum Artaxerxem, quod non potest verificari de Hystaspide, qui primum Artaxerxem, idest Longimanum non ante se, sed post se habuit. Sed ℟. ad I. Darium Hystaspidem tempore decreti Cyri fuisse fere puerum, cum tempore mortis ejusdem Cyri fuerit solum 20. annorum (*a*): in illa autem ætate nec debebat esse particeps decretorum regis, nec, etiamsi fuisset, poterant hæc omnia, quæ sane in imperio tam extenso, ut fuit imperium Persarum sub Cyro, fuerunt plurima, hærere memoriæ. Quod postremum dicendum etiam de ministris Darii, præsertim cum sub regnis intermediis Cambisis & Smerdis verisimile sit fere omnes ministros Cyri fuisse amotos a gubernio. Adde quod potuerunt & Darius Hystaspis, & ministri ejus recordari decreti Cyri, & tamen velle, ut perquireretur in annalibus, ut authentice de illo, & de ejus modo constaret. Ad II. ℟. illum Artaxerxem, qui fuit ante Darium auctorem edicti, non fuisse Longimanum, sed Smerdim Magum, qui juxta consuetudinem regum Persarum pluribus nominibus appellari voluit, præcipue cum nomen *Artaxerxis*, quod ex Herodoto significat *maxime bellicosum*, faveret illius superbiæ.

Noto 5. Artaxerxem, qui dedit duo edicta posteriora, esse Longimanum. Sane non fuit Magus, qui tantum abfuit, ut in gratiam Judæorum aliquid decreverit, ut potius fuerit eis infensissimus. Nec fuit Mnemon, ut vult Scaliger; nam sub Artaxerxe, qui dedit edicta, adhuc vivebat Esdras, qui vi primi edicti dati a Cyro perrexit in Jerusalem: inverisimile autem est, quod hic vixerit tempore Mnemonis; tunc enim habuisset fere 200. annos, cum ipse jam natus esset, quando Sarajas ipsius pater occisus est sub Nabucho-

---

(a) *Herodot. lib.* 1.

chodonosore in excidio Hierosolymitano, a quo tempore usque ad Mnemonem intercesserunt anni fere 200. Quæ ratio a fortiori militat pro Ocho. Addo Artaxerxem, qui illa edicta dedit, pervenisse ad annum 32. regni (*a*), cum tamen Ochus non regnaverit nisi 21., aut 22. annis. Ergo Artaxerxes, qui dedit edictum, fuit Longimanus. Sed inquies. Quomodo hoc posito stabit ætas Nehemiæ, qui fuit executor edicti Artaxerxis, & ætas Sanaballat, qui illius executioni acriter obstitit? uterque enim tempore Darii Codomani vivebat, ut patet ex quo prior mentionem (*b*) faciat tanquam rei præteritæ Sacerdotis Jaddi sub Dario, qui profecto fuit Codomanus, cum hic Jaddus obviam fuerit Alexandro Magno victori hujus Darii, & posterior ex Josepho (*c*) suppetias tulerit eidem Alexandro. Quo posito cum tempore edicti neuter potuerit esse minor 30., vel 40. annorum; hæc enim ætas ad minimum requirebatur, ut sustinere possent munera imposita, alter quidem præfecti reædificationi Jerusalem, alter vero gubernationi Samariæ, cumque a Longimano usque ad Codomanum fere 120 anni intercesserint, jam uterque pervenisset ad ætatem 150., vel 160. annorum, quod est inverisimile. Respondeo tamen necessarium non esse in nostra hypothesi hanc ætatem supradictis tribuere: quod enim spectat ad primum, probabilius, ut putant Cornelius a lapide, Petavius, Natalis Alexander, Prideaux, aliique, quæ adducto capite narrantur, non sunt saltem omnia scripta a Nehemia, sed aliqua ab alio sacro scriptore addita, ut factum esse in libris Deuteronomii, Josuæ, Tobiæ, ac Jeremiæ putant eruditi. Potuit proinde alius a Nehemia commemorare Jaddum, sicque ex tali

(a) 2. *Esdræ* 5. & 13.
(b) 2. *Esdræ* 12.
(c) *Lib.* 11. *antiquit. cap.* 7. & 8.

commemoratione non est necesse, ut ætatem Nehemiæ usque ad tempora Jaddi deducamus. Quod spectat ad secundum, vel Sanaballat, de quo Joseph, est distinctus a Sanaballete, qui restitit Nehemiæ, vel, quod est probabilius, deceptus est Josephus, quippe qui libro illo undecimo Antiquitatum multa asserit contraria Scripturæ, ut quod Nehemias venerit Jerusalem anno 25. Artaxerxis, cum ex Scriptura venerit anno 20., quod insumpserit tres annos cum dimidio in reædificatione murorum Jerusalem, cum tamen ex Scriptura insumpserit solum 52. dies. Adde quod, cum ipse faciat Codomanum immediate succedere Artaxerxi Longimano prætermissis aliis pluribus Regibus intermediis, non est mirum si faciat Sanaballetem vixisse tempore Alexandri Magni. Sed jam vindicatis quatuor jam dictis decretis illorum auctoribus videndum a quonam ex his decretis desumendum sit initium hebdomadarum Danielis. Pro hac re

Noto 6. hoc initium non posse desumi ab edicto Cyri, aut Darii Hystaspis; I. enim si ab his edictis desumeretur, jam illarum complementum habitum fuisset diu ante Christum, cum ab anno 2 Darii, qui fuit Christo proximior, fluxerint 550. circiter anni. II. Hæc duo edicta nullam mentionem faciunt reædificationis Jerusalem, sed tantum reædificationis templi. Ergo &c. Nec dicas & Cyrum & Darium dedisse etiam facultatem reædificandi civitatem, ut de Cyro constat ex Isaia, qui hoc prædixerat nomine Dei inquiens: (*a*) *Ipse* (Cyrus) *ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet*, (& de facto sub tertio Persarum Rege Judæi mœnia urbis reædificabant, ut patet ex quo a finitimis gentibus ita ipsi renunciatum est:

Ve-

(a) *Isai.* 45.

(*a*) *Venerunt in Jerusalem civitatem rebellem, & pessimam, quam ædificant extruentes muros ejus*, quod non fecissent, nisi a Cyro habuissent facultatem) & de Dario constat, ex quo ipse initio regni jam voverat ædificare Jerusalem (*b*); Rℓ. enim Cyrum permisisse, ut ædificaretur templum & etiam domus in Jerusalem; nam si permisit, ut Judæi illuc redirent, nè dicamus ipsum voluisse, ut habitarent sub dio, sequitur ipsum permisisse, ut domos ad habitandum ædificarent (& hoc solum sensu dicitur ipsum civitatem ædificasse) non autem permisisse ut ædificarent mœnia urbis. Cum autem templum & domos Hebræi reædificarent, finitimæ gentes præ invidia illos falso accusarunt de reædificatione mœnium civitatis. Nisi dicere velimus accusationem hanc respexisse solam ædificationem templi, quod tantæ erat amplitudinis, ut fere civitas dici posset. Cujus rei probabilis conjectura est, quod, cum narretur (*c*) tertium illum Persarum regem accusatione hac motum ita decrevisse: *Prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur, donec si forte a me jussum fuerit*, postea dicitur: *Tunc intermissum est opus domus Domini in Jerusalem, & non fiebat usque ad annum 2. Darii regis Persarum*: & infra (*d*) narratur anno 2. hujus Darii reassumptam esse ædificationem templi, & completam anno 6. ejusdem: ex quo colligitur illam ædificationem fuisse a tertio rege prohibitam, quæ postea fuit sub quarto, idest Dario, reassumpta & completa. Atqui ædificatio, quæ sub Dario postea fuit reassumpta & completa, fuit ædificatio tantum templi. Ergo hæc fuerat a tertio rege antecedenter prohibita: consequenter accusatio, quæ dedit locum huic prohibitioni, reædificationem tantum templi respiciebat. Quod spe-

(a) 1. *Esdræ* 4. (b) 3. *Esdræ* 4.
(c) 1. *Esdræ* 4. (d) 1. *Esdræ* 6.

ſpectat ad votum Darii, ſi ſubſiſtit, poteſt explicari de reædificatione domorum, vel templi. Dixi *ſi ſubſiſtit*; hoc enim narratur in libro 3. Eſdræ, qui eſt apocryphus. Si ergo initium hebdomadarum Danielis non eſt deſumendum ab edicto aut Cyri aut Darii Hyſtaſpis, remanet, ut deſumatur ab alterutro ex edictis Artaxerxis Longimani. At a quonam ex his duobus? Magna hic controverſia. Pro priore ſtant uterque Capellus, Prideaux, Cornelius a lapide, Graveſonius, Berti, aliique plures: pro poſteriore ſtant Petavius, Natalis Alexander, Vitaſſe, Huetius, aliique itidem plures. In re admodum implexa placet ita ſtatuere.

Si ſalvari poteſt ſufficienter numerus 69. hebdomadarum cum dimidia ab anno 20. Artaxerxis Longimani ad mortem Chriſti probabilius ab hoc anno ducendum eſt illarum exordium; nam hoc anno expreſſe conceſſa eſt poteſtas reædificandi Jeruſalem: *Factum eſt autem*, inquit Nehemias (*a*) *in menſe Niſan anno vigeſimo Artaxerxis regis . . . ait mihi rex, pro qua re poſtulas? & oravi Deum cœli, & dixi ad regem: ſi videtur regi bonum & ſi placet ſervus tuus ante faciem tuam, ut mittas me in Judæam ad civitatem ſepulcri patris mei, & ædificabo eam. Dixitque mihi rex & regina, quæ ſedebat juxta eum, uſque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reverteris? & placuit ante vultum regis & miſit me, & conſtitui ei tempus*: & poſtea narratur reædificatio murorum civitatis. Edictum autem anno Artaxerxis 7. ſolum loquitur de reſtauratione legum judaicarum, & maxime rituum ſacrorum, & de facto poſt hoc edictum adhuc mœnia civitatis diruta remanſerunt (*b*). Ergo &c.

At

(a) 2. *Eſdræ* 2. (b) 2. *Eſdræ* 1.

At salvaturne sufficienter numerus jam dictus hebdomadarum ab anno 20. Artaxerxis usque ad mortem Christi?

Hic difficultas. Diodorus Siculus (*a*) narrat Xerxem patrem Artaxerxis occisum fuisse anno 4. Olympiadis 78., ex quo sequitur 2. annum regni Artaxerxis, qui statim patri successit, fuisse 1. Olympiadis 79. Idem Diodorus (*b*) narrat Artaxerxem vita functum anno 4. Olympiadis 88., cum regnasset 40. annis: ex quo pariter sequitur annum 1. regni illius fuisse 1. Olympiadis 79. Hoc idem expresse docet Eusebius (*c*). Igitur annus 20. Artaxerxis fuit annus 4. Olympiadis 83., quod idem expresse docet Julius Africanus. Annus autem 4. Olympiadis 83. concurrit cum anno ante æram vulgarem 444. Ab hoc anno usque ad annum 2. Olympiadis 202., seu 30. æræ vulgaris, cui supra alligata est Christi mors, sunt ad summum 474. anni, qui tantum abest, ut compleant 69. hebdomadas cum dimidia, ut neque compleant 67. Quomodo ergo ab anno 21. Artaxerxis sumi potest initium hebdomadarum, quarum 69. & dimidia debebat compleri in morte Christi?

Ut ab hac difficultate se expedirent qui stant pro anno 20. Artaxerxis, varia excogitarunt. Celebriores responsiones ad duas revocantur, quarum

Prima est illorum, qui altius repetunt initium regni Artaxerxis, qui & ipsi dividuntur. Petavius cum aliis duplicem distinguit epocham regni Artaxerxis, alteram a morte patris, & hanc concedit esse supra indicatam, alteram vero ex quo fuit a patre adhuc vivente assumptus, ut secum regnaret, & hanc facit 9. annis alia

G 6 prio-

(a) *Lib.* 11. *bibliothec.*
(b) *Lib.* 12. *bibliothec.*
(c) *In Chronico.*

priorem. Fundat doctissimus vir suam hypothesim tum in usu regum Persarum associandi sibi in imperio successorem, dum viverent, juxta quem usum dicit Xerxem expeditionem contra Græcos initurum associasse sibi in imperio Artaxerxem; tum in textu Thucididis narrantis (*a*) Themistoclem e Græcia profugum ad Artaxerxem confugisse, qui nuper regnare cœperat; cumque ex Diodoro (*b*) exilium Themistoclis evenerit anno 2. Olympiadis 77., quo tempore adhuc vivebat Xerxes, sequitur, inquit Petavius, ut necessario debeamus admittere Artaxerxem antea a patre fuisse in communionem regni assumptum. Vult autem Petavius 20. annum regni, quo Artaxerxes dedit edictum, esse computandum ab hac epocha. Sed hypothesis hæc a pluribus rejicitur; quamvis enim fateantur reges Persarum consuevisse, dum viverent, successorem designare, hoc tamen dicunt valuisse de regno ineundo post mortem designantis, non de assumptione designati ad regiam dignitatem simul cum ipso designante. Neque eos movet quod narrat Thucidides; vel enim dicunt ipsum esse deserendum, cui plures alii historici apud Plutarchum (*c*) repugnant asserentes Themistoclem non ad Artaxerxem, sed ad Xerxem confugisse, quod optime stat cum assignatione temporis facti a Diodoro; vel dicunt deserendum esse Diodorum, cum Thucidides asserat Themistoclem ad Artaxerxem confugisse post mortem patris quod cum tempore assignato a Diodoro est incompossibile: præsertim cum narret Justinus (*d*) Artaxerxem tempore occisionis patris

(a) *Lib.* 1. *cap.* 94.
(b) *Lib.* 11. *bibliothec.*
(c) *In Themistocle.*
(e) *Lib.* 3. *cap.* 1.

tris sui fuisse adhuc puerum, quo posito inverisimile videtur ante hanc mortem ad eum adhuc juniorem confugisse Themistoclem de negotiis gravissimis acturum. Usserius & alii è contra initium regni Artaxerxis repetunt a morte patris, sed hanc dicunt 9. annis præcessisse epocham communiter statutam. Cum ergo alii historici Xerxi tribuant 21. annos regni, Artaxerxi 40., ipse ad 12. annos reducit annos Xerxis, Artaxerxi vero tribuit fere 50 Hoc autem adstruit Usserius, ut Thucididem cum Diodoro conciliet circa circumstantias fugæ Themistoclis. Sed hoc systema difficile sustineri potest contra communem sensum historicorum Xerxi 21. annos, Artaxerxi vero 40. tribuentium.

Secunda est eorum, qui volunt hebdomadas Danielis intelligendas de annis lunaribus, qui constituuntur ex 12. lunationibus, quarum sex sunt 29, sex 30. dierum, & omnes simul conficiunt numerum 354. dierum: cujus quidem hypothesis auctor fuisse fertur Julius Africanus, quem postea secuti sunt plures inter Patres, & Chronologos recentiores, ut Torniellus, Huetius, Samuel Basnagius &c. Observant siquidem hi hebdomadas dici ab Angelo *abbreviatas*, quod cum non possit intelligi de numero annorum, qui determinatus est, remanet, ut intelligatur de illorum mensura, quæ debet esse brevior anno communi solari, & si brevior, non alia sane potest esse nisi mensura anni lunaris. Anni autem 490 lunares sunt minores 490. annis solaribus 15. circiter annis solaribus. Completis ergo 490. annis lunaribus adhuc 15. circiter anni solares remanent ad complendos annos 490. solares. Si ergo computatis annis solaribus a 20. Artaxerxis usque ad annum 30. æræ vulgaris, quo accidit mors Christi, sunt 474. circiter anni solares, erunt 489. circiter anni lunares, adeoque verificabitur Christum mortuum esse ante complementum 490. annorum lunarium, sive in ultima hebdomada ex 70. nondum completa, quod im-

importatur per illud *in medio hebdomada*. Reponunt quidem alii plures nec vocem, quam vulgatus interpres vertit *abbreviatæ*, denotare decurtationem, cum tantum denotet determinationem, ita scilicet ut non sit sensus remanere ab edicto de reædificatione Jerusalem ad Christum 70. hebdomadas decurtatas seu breves, sed numerum hebdomadarum esse fixum & determinatum ad 70. ut patet ex textu hebraico: nec verisimile esse Angelum fuisse locutum de annis præcise lunaribus, cum hi non essent in usu apud Hæbreos ad quos prophetia dirigebatur; nam ipsi annis lunaribus consueverunt identidem addere dies necessarios, ut illos æquarent solaribus, & hoc præcipue ne festa certis anni temporibus a Deo affixa è propriis sedibus dimoverentur: quo posito non annos præcise lunares, sed annos lunisolares adhibebant. Sed instant priores non esse de facili rejiciendam vocem *abbreviatæ*, quam adoptat vulgata ab Ecclesia approbata, præcipue cum faveat versio septuaginta, qui certe primigenium idioma, quo hæc prophetia exarata est, callebant, & tamen verterunt *decurtatæ*. Quamvis porro concedant annos præcise lunares non fuisse adhibitos ab Hebræis, dicunt tamen hoc non obstare, nè hebdomadæ intelligantur de his annis; non enim Angelus dicit numerandas esse hebdomadas annorum, qui erant in usu, sed annorum abbreviatorum, idest præcise lunarium, quorum sufficientem ideam habebant Hebræi, etsi iis non uterentur.

Utrum hæc valeant, judicent peritiores. Ipse repeto quod supra dixi, nimirum, si valent, potius certe ab anno 20., quam a 7. Artaxerxis deducendum esse hebdomadarum initium. Si autem non valent, potius ab hoc anno 7. deduci debebit; sic enim & optime salvabitur numerus 69. hebdomadarum cum una incompleta annorum solarium, ut manifeste patet adhibitis calculis juxta supra statuta: & salvabitur sufficienter exitus sermonis de reædificatione Jerusalem, dicendo

fa-

facultatem hujus reædificationis licet non expressam in edicto, fuisse tamen datam tacite & indicatam his verbis (*a*): *Dedit ei* (Esdræ) *rex secundum manum Domini Dei ejus super eum omnem petitionem ejus*, & his aliis, quæ in edicto habentur: *Si quid tibi & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro, ut faciatis, juxta voluntatem Dei vestri facite*: ubi etiam exempti fuerunt Hebræi a tributis, & constitutus Esdras supremus judex & dux Hebræorum. Inverisimile enim videtur Esdram, qui tantam inierat gratiam apud Artaxerxem, qui ab ipso obtinuerat pro natione Hebraica exemptionem a tributis, qui fuerat ab illo constitutus supremus dux Hebræorum, qui impetraverat quæcumque petierat, & signanter facultatem erogandi argentum & aurum collectum ab Hebræis in Babylone quomodocumque voluisset, non cogitasse de reædificatione civitatis, aut hujus reædificationis facultatem non petiisse, aut petitam a rege non obtinuisse: quam tamen facultatem aut nullo modo, aut saltem complete non potuit ad actum deducere resistentibus finitimis populis Judæorum felicitati invidentibus.

Addunt etiam in hujus rei confirmationem fautores hujus sententiæ, quod Nehemias anno 20. Artaxerxis audiens a quibusdam venientibus de Judæa, quod murus Jerusalem dissipatus erat, & portæ ejus combustæ, flevit (*b*). Quo posito inquiunt: Nehemias tunc non flevit ob dissipationem murorum Jerusalem factam a Nabuchodonosore initio captivitatis babylonicæ; hæc enim etiam antecedenter ad hanc relationem ipsi nota erat. Flevit ergo ob dissipationem novam, quod supponit muros fuisse antecedenter reædifica-

ca-

(a) 1. *Esdra* 7.
(b) 2. *Esdræ* 1.

catos: at hoc non potuit contingere nisi vi decreti editi ab Artaxerſe anno 7. Sed hæc ratio mihi non satis valida apparet: potuit enim fiere etiam ob dissipationem murorum factam a Nabucholonosore, non quod illam antecedenter ad dictam relationem ignorasset, sed quod audierit miserrimum statum Jerusalem ab iis, qui ibi fuerant, & propriis oculis ruinas civitatis perspexerant, ac peculiares circumstantias tanti infortunii veluti ob oculos etiam ipsius Nehemiæ posuerant.

Notare hic juvat non deesse inter faventes anno 7. Artaxerxis, qui putent decretum de reædificatione Jerusalem esse intelligendum metaphorice, de instauratione scilicet status tum politici, tum religiosi nationis Judaicæ, quæ instauratio revera decreta est anno 7. Artaxerxis, cum ad hunc finem ab eo missus sit Esdras. Ita Prideaux (*a*). Quæ quidem sententia, si subsisteret, omnia salvanda salvaret. Sed huic maxime est obnoxia incommodo, quod reædificationem Jerusalem metaphorice intelligit, cum alii omnes illam intelligant litteraliter, adeoque quod sit contra communem sententiam aliorum. Videatur tamen hic auctor plura adducto loco afferens scitu dignissima.

CAPUT QUARTUM.

Ostenditur Messiam venisse ex vaticiniis Aggæi & Malachiæ.

AGgæus, dum post solutam captivitatem Babylonicam fabricaretur secundum templum, ita Judæos nomine Dei affatus est: (*b*) *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in glo-*

(a) *Hist. Judaeor. par.* 1. *lib.* 5.
(b) *Agg.* 2.

gloria sua prima & quid vos videtis hanc nunc? nunquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? . . . Hæc dicit Dominus exercituum. Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam, & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria . . . Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ . . . & in loco isto dabo pacem. Malachias vero hæc habet: (a) *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.*

Ostendam ergo 1. quomodo hæc a Christianis explicentur, & adhibeantur ad ostendendum Messiam jam advenisse: 2. quomodo explicentur a Judæis, atque adeo quomodo hi conentur eludere argumenta Christianorum.

ARTICULUS PRIMUS.

Consolatur Deus per Aggæum Hebræos, qui recordabantur magnificentiæ primi templi a Nabuchodonosore destructi, & videbant secundum, quod tunc ædificabatur, esse longe inferius priore. Dicit autem hoc secundum gloriosius primo futurum, ex quo desideratus cunctis gentibus, idest Messias illud præsentia sua & prædicatione in eo facienda erat nobilitaturus: quod explicatur etiam per Malachiam loco adducto (hæc enim loca debent simul sumi, & unus per alium explicari). Messias ergo debebat venire antequam templum hoc secundum destrueretur. Destructum est autem in eversione Jerusalem a Tito. Ergo Messias antecedenter venit. Ita Christiani.

AR-

(a) Malach. 3.

ARTICULUS SECUNDUS.

Judæi, ut vim propositi argumenti eludant, varias oraculi expositiones comminiscuntur. I. aliqui contendunt hìc non haberi sermonem de secundo templo a Zorobabele ædificato, sed de alio ædificando in fine mundi ab ipso Messia. II. alii oraculum intelligunt quidem de secundo templo, sed volunt hoc secundum fuisse primo nobilius vel ob majorem durationem, vel ob majores divitias, quibus auctum fuit, vel quod eo stante majorem pacem habuerunt Judæi, quam stante primo, non vero ob adventum Messiæ ad illud. Sed

Contra primum. Aggæus expresse indigitat templum, quod recenter ædificatum erat, ut patet ex iis: *Implebo domum istam gloria: magna erit gloria domus istius: in loco isto dabo pacem*; verba enim *istam*, *istius*, *isto* non possunt referri nisi ad aliquid præsens. Non ergo ad aliud templum postea ædificandum.

Contra secund. Major nobilitas secundi templi, quam primi, non poterat repeti nisi a Messia ad illud adventuro; major enim duratio secundi vix fuit 10. annorum: quis autem dicat tam parvum excessum durationis assignari a Deo ut fundamentum majoris gloriæ secundi templi? Majores autem divitiæ secundi templi falso adstruuntur; nam potius ex historiis constat non fuisse ullo modo has comparandas cum divitiis prioris. Addo defuisse in secundo plura ornamenta, quæ aderant in primo, ut arca fœderis, ignis perpetuus, virga Aaron, oleum sanctum, præsentia Dei in Propitiatorio, Urim & Tummim &c. Falso etiam adstruitur major pax Judæorum durante secundo templo, ut patet ex bellis, quæ habuerunt hoc durante cum Antiocho, Seleuco, Demetrio, Pompejo, Cajo Cæsare, ac Tito. Ergo &c. Sed

Instare potest Judæus ad hominem contra Christianos: saltem argumentum, quod ex hoc ora-

oraculo colligunt Christiani, non subsistit; non enim juxta principia Christianorum potest subsistere Messiam venturum ante destructionem secundi templi, cum ipsi velint Messiam esse Jesum, cujus tempore secundum templum non amplius extabat, sed tertium erat loco illius ab Herode ædificatum. Ergo &c.

℞. Herodem non construxisse tertium templum, sed solum secundum ampliasse, & ornasse; nam templum non fuit ab illo ex ruinis penitus excitatum, sed paulatim per partes innovatum, ita tamen ut semper persisteret Sancta Sanctorum, cujus rei argumentum est, quod nunquam in hac reædificatione fuerunt interrupta Sacrificia. Et de facto antiqui Judæi in Talmud templum ab Herode reædificatum, & postea a Tito destructum non aliter appellant, quam secundum. Ergo &c.

CAPUT QUINTUM.

Ostenditur contra Judaeos Messiam esse Jesum Christum.

UT ostendatur Messiam, qui demonstratus est advenisse, esse Christum, afferendæ sunt ex veteri Testamento prophetiæ peculiares charactères exprimentes ejusdem Messiæ, & comparandæ cum characteribus Christo convenientibus, quo posito patebit omnes characteres de Messia prædictos in Christo fuisse verificatos, adeoque ipsum esse Messiam. Comparationem hanc modo instituam, in qua quidem instituenda novo Testamento utar, cui Judæi divinam negant auctoritatem. Sed parum hoc refert; sufficit enim, ut supra dixi, si in illo auctoritatem saltem agnoscant, quam in aliis historiis probatæ fidei omnes admittunt, & quam certe nec ipsi novo Testamento possunt negare, cum hoc scriptum sit ab auctoribus coævis ipsi Christo, & enunciet res, quæ ut plurimum coram omnibus acciderunt, nec ul-

ullus unquam reclamaverit contra ejusdem veritatem, quamvis maximum semper fuerit odium Gentilium & Judæorum in christianam religionem, unde in illud nulla falsitatis suspicio cadere potest.

1. ergo agam specialiter de genere, ex quo prænunciatus est futurus Messias, 2. de virginitate matris ipsius, 3. de reliquis characteribus: 4. addam præcedentium confirmationem ex testimonio Josephi, & ex actis Pilati.

ARTICULUS PRIMUS.

Prædictum erat Messiam descensurum ex Davide; dicitur enim (*a*): *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justus noster*. Christus porro fuit de semine David, ut patet omissis aliis ex illo (*b*): *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*, & ex illo, ubi dicitur (*c*): *Paulus . . . segregatus in evangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis Sanctis de filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem*. Sed

Obj. Si Christus descendisset ex Davide, fuisset de tribu Juda, ex qua erat David. Hoc non; nam Maria, ex qua juxta christianos debebat deduci genus Christi, non erat ex tribu Juda, sed Levi. Ergo &c. Quod vero Maria fuerit ex tribu Levi, probatur ex quo ipsa erat cognata Elisabeth, quæ erat de tribu Levi, cum dicatur (*d*) *de filiabus Aaron*; non enim poterat Maria esse cognata

(a) *Jerem.* 23. (b) *Matt.* 1.
(c) *Rom.* 1. (d) *Luc.* 1.

ta alicujus de tribu Levi, nisi de eadem tribu ipsa fuisset, cum cognationes non possent apud Hebræos haberi nisi inter personas ejusdem tribus; nam vel cognationes oriebantur ex quo duo descenderent ex eodem stipite (quo casu erant, ut patet, ex eadem tribu) vel ex matrimoniis, quo pariter casu erant ex eadem tribu, cum matrimonia apud Hebræos non possent contrahi nisi inter personas ejusdem tribus, ut patet ex illo (*a*): *Omnes viri ducent uxores de tribu & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient*. Ergo &c.

℟. Mariam fuisse de tribu Juda, etsi cognata ipsius Elisabeth esset de tribu Levi, & hanc cognationem ortam fuisse ex aliquo matrimonio inter consanguineos Mariæ contracto, & consanguineos Elisabeth, quin obstaret lex allata. Nam primo hæc lex, licet in vulgata nostra universaliter sonet, debet tamen restringi, ad solas fœminas, quæ erant hæredes; istæ enim, si viro ex altera tribu nupsissent, detulissent hæreditatem in alteram tribum, sicque perturbata fuisset distributio possessionum facta temporibus Moysis & Josue. Hanc legem ita debuisse restringi constat ex textu hebraico, ubi ita exprimitur: *Omnis filia possidens hæreditatem de tribubus filiorum Israel alicui de familia tribus patris sui erit in uxorem, ut hæreditent filii Israel singuli possessionem patrum suorum*. Constat pariter ex Targum Onchelosi, ubi ita enunciatur: *Omnis filia hæres possessionis de tribu filiorum Israel uni de familia tribus patris sui sit in uxorem, ut hæreditent filii Israel singuli possessionem patrum suorum*: & ex versione Syriaca habente: *Quæcumque filia possederit hæreditatem ex tribu filiorum Israel, alicui ex tribu domus patris sui nubat, ut possideat quisque filiorum Israel hæreditatem pa-*

(a) *Num. ult.*

patris sui. Ita etiam exprimitur hæc lex in versione 70. Addo potuisse fœminas unius tribus etsi hæredes viro ex altera tribu nubere, dummodo dimisissent hæreditatem. Sane hanc legem non fuisse universalem constat multis Scripturæ testimoniis, exemplo scilicet Davidis (*a*), qui uxorem duxit ex tribu Beniamin, & juramento (*b*), quod dederunt undecim tribus, non collocandi in matrimonium ullam ex propriis filiabus cum Beniamitis, quod sane indicat ab eo antecedenter non fuisse saltem generaliter prohibitos. Fieri ergo potuit, ut vel ratione paupertatis familiarum, vel ex quo aliqua fœmina renunciaverit hæreditati, vir de tribu Juda consanguineus Mariæ nupserit fœminæ de tribu Levi consanguineæ Elisabeth, vel viceversa, sicque evaserint cognatæ Maria & Elisabeth.

Adde, quod lex illa Numerorum tempore Mariæ & Elisabeth non poterat amplius perfecte vigere, cum post captivitatem babylonicam non sit servata exacta illa distributio portionum terræ promissæ, quæ fuit statuta a Moyse & Josue; decem enim tribus vel nullo modo redierunt, vel non omnes redierunt ex illis tribubus, vel saltem redierunt confusæ cum tribu Juda, adeoque cessavit saltem ex parte ratio illius legis, quo posito nil mirum, si eo tempore non fuisset exacte observata.

Adde tandem hanc legem, quamvis supponatur perfectissime valida, non tamen obligasse viros aut fœminas ex tribu Levi, quia, cum hæc tribus non haberet portionem distinctam ab aliis tribubus, sed esset omnibus aliis mixta, non poterat timeri, nè ex matrimonio viri de tribu Levi cum fœmina de aliis tribubus, aut è contra, fieret confusio portionum assignatarum singulis tribubus. Et de facto legimus Jojadam Pontificem

(a) 1. *Reg.* 18. (b) *Jud.* 21.

cem (*a*) adeoque de tribu Levi nupsisse filiæ Joram, quæ erat de tribu Juda. Igitur etiam ex hoc capite potuit aliquis vel aliqua de consanguineis Mariæ ex tribu Juda aliquam vel aliquem sibi in matrimonium unire de consanguineis Elisabeth ex tribu Levi, sicque potuit Elisabeth evadere cognata Mariæ.

Quoniam autem de genere Christi hic est sermo, præstat modo examinare genealogias, quas de Christo texunt Evangelistæ; triplex enim potest circa illas occurrere difficultas. Prima est quomodo genealogia, quam texit Lucas, in qua inter Sale & Arphaxad ponitur Cainan, cohæreat cum veteri Testamento, in quo nulla de hoc Cainane fit mentio: secunda quomodo cohæreat genealogia, quam texit Matthæus, cum illa, quam texit Lucas, qui diversam ineunt viam: tertia quare ambo genealogias ducant usque ad Joseph, qui nullam in generatione Christi habuit partem.

Quoad primam putant aliqui Cainanem hunc (dictum juniorem ad differentiam alterius Cainanis senioris, qui ibidem commemoratur) fuisse intrusum in Evangelio S. Lucæ, tum quia nulla illius fit mentio in textu Hebraico, & in nostra vulgata, cum in Genesi texitur series antiquorum Patriarcharum, tum quia illius non fit mentio in scriptis plurimorum Patrum eandem seriem texentium, tum quia, si admittatur hic Cainan, corruit tota chronologia, quam Moyses describit, tunc tandem quia in manuscripto antiquissimo Evangelii S. Lucæ diu asservato in Monasterio S. Irenæi apud Lugdunum in Galliis, & postea dono dato a Theodoro Beza Academiæ Cantabrigensi Cainan hic desideratur.

Dicendum tamen Cainanem hunc non fuisse intrusum, sed revera positum a S. Luca in Evangelio, tum ob auctoritatem vulgatæ nostræ, quæ au-

(a) 2. *Par.* 22.

authentica declarata est, tum ob auctoritatem antiquissimarum editionum hujus Evangelii, ut est Græca, Persica, Arabica, Æthiopica &c., in quibus hic Cainan reperitur, tum ob auctoritatem plurimorum Patrum, ut sunt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Beda, qui illum commemorant ut a S. Luca descriptum, inter quos S. Hieronymus testatur hunc Cainanem reperiri in illa græca versione veteris Testamenti, quæ in usu erat tempore Apostolorum.

Licet ergo in Genesi juxta textum hebraicum & nostram vulgatam non habeatur mentio hujus Cainanis, parum refert, cum hoc sit argumentum mere negativum, quod in conflictu argumentorum positivorum supra allatorum non subsistit. Quod si quæratur, quare in textu hebraico hic Cainan sit omissus, & in suppositione, quod ita sit omissus, quomodo potuerint scriptores hebraico textu posteriores, qui res non potuerunt cognoscere nisi dependenter ab eodem textu, hunc Cainanem recensere; ℟ in textu hebraico, ex quo magna ex parte desumpta est nostra vulgata, Cainanem hunc fuisse omissum, vel quia ad certum numerum volebat Sacer Scriptor redigere personas, quas enumerabat, quem numerum ut servaret, aliquas omisit, quomodo Matthæus, ut ad tres æquales classes 14. personarum redigeret progenitores Christi, aliquas personas in sua genealogia omisit, ut infra dicetur, vel alia nobis incomperta de causa: & potuisse a scriptoribus textu hebraico posterioribus recenseri Cainanem, etsi omissum in eodem hebraico textu, quia illius notitia potuit haberi vel ex certa traditione, vel ex libris genealogiarum apud Hebræos asservatis. Argumentum porro, quod ex silentio aliquorum Patrum colligitur ad expungendum Cainanem, est & ipsum negativum, cui opponitur argumentum positivum deductum ex aliis Patribus illum commemorantibus, præsertim cum nullus possit ex Patribus afferri, qui hunc Cainanem neget, & qui omiserunt, ideo omiserint, quia secuti sunt se-

riem

riem Patriarcharum commemoratorum in Genesi juxta hebraicum, & nostram vulgatam.

Nec ex admissione hujus Cainanis perturbatur chronologia, quam describit Moyses, cum enim ad hanc salvandam sufficiat verificari, quod Salem natus sit Arphaxado, cum hic esset 35. annorum, quod asserit Moyses juxta textum hebraicum, possumus cum Genebrardo statuere hypothesim, quod Arphaxad genuerit Cainanem, cum esset annorum 18. & quod hic genuerit Salem, cum esset annorum 17. & en quod Salem natus erit Arphaxado, cum hic esset annorum 35. Tandem nihil refert, si in codice Cantabrigensi omissus sit hic Cainan; codex enim hic, ut probant peritissimi critici Simonius & Dupin, non est antiquior 6. sæculo, ante quod in aliis codicibus Cainan hic habebatur, ut patet ex quo S. Hieronymus, qui sæculo 4. floruit, & qui procul dubio plures codices emendatos præ manibus habuit, in versione Evangelii S. Lucæ reposuit Cainanem, unde hujus Cainanis omissioni habitæ in codice Cantabrigensi (quæ sane & ipsa non constituit nisi argumentum negativum) præponderare debet auctoritas codicum antiquiorum, in quibus ille recensetur.

Quoad secundam duo præcipue sunt modi, quo apparens hæc contradictio tollatur, alter quem suppeditat Julius Africanus, & fere omnes Patres adoptarunt, alter qui traditur a quibusdam recentioribus.

Julius igitur Africanus auctor 3. sæculi (a) docet Josepho duos fuisse patres, unum naturalem dictum Jacob, alterum legalem dictum Heli, quorum prior a Davide per Salomonem descendebat, alter per Nathanem: vult autem Matthæum te-

(a) *Ep. ad Aristid. apud Euseb. lib. x. Hist. cap. 7.*

texuisse genealogiam Joseph per parentes naturales, adeoque per Jacobum, Lucam vero per parentes legales adeoque per Heli.

Hoc proinde est Julii Africani circa hoc systema. Mathan, qui ex Davide per Salomonem descendebat, uxorem duxit nomine Estham, ex qua suscepit filium nomine Jacob. Mortuo Mathane Estham ejus viduam duxit Melchi (seu potius Mathat, memoria enim hic fuisse lapsum Africanum, & pro Mathat posuisse Melchi, putant Valesius & alii, nisi dicere velimus hunc Mathat fuisse binominem, & appellatum etiam Melchi, vel Africanum præteriisse duas personas videlicet Levi & Mathat) qui ex ea genuit Heli, uterinum proinde fratrem Jacobi. Cum autem Heli mortuus fuisset absque liberis, Jacob uxorem duxit viduam ipsius Heli ad suscitandum semen fratris sui, juxta legem (*a*) hoc statuentem, & ex ea genuit Josephum, qui proinde erat filius naturalis Jacob, sed legalis Heli.

Hoc est systema Julii Africani, quod ipse dicit se accepisse a viris, qui suo tempore superant ex cognatione Domini, & quod Augustinus (*b*) docet in eorum litteris contineri, qui recenti memoria post ascensionem Dominicam hac de re scripserunt. Ad uberiorem tamen illius intelligentiam placet adducere & solvere difficultates, quæ contra ipsum obijci solent. Hæ vero ad has reducuntur.

I. Falsum est Matthæum genealogiam Josephi texere voluisse per parentes naturales, Lucam vero per parentes legales, cum constet Matthæum parentes Josephi naturales non recensuisse: facit enim Salathielem filium Jechoniæ, qui tamen juxta comminationem illi factam per illud (*c*): *Scribe*

(a) *Deut.* 13. (*b*) 2. *Retract.* 7.
(c) *Jerem.* 22.

be virum istum sterilem &c., filios non genuit. Præterea Matthæus asserit Josiam fuisse patrem Jechoniæ, non utique naturalem, nam hic fuit Joachim (*a*). Ulterius Matthæus docet Achazum fuisse patrem Ezechiæ, qui tamen non fuit illius pater naturalis, nam Ezechias in morte Achaz erat annorum 25. (*b*). Achaz ergo, utpote qui cœpit regnare anno 20. ætatis suæ, & regnavit 16. annis (*c*) adeoque vixit 36. annis, si esset pater naturalis Ezechiæ, debuisset illum gignere anno 11. ætatis, quod est contra consuetum naturæ ordinem. Adde, quod Achaz (*d*) transtulit filium suum per ignem. Illum ergo combussit: proinde Ezechias non potuit esse filius naturalis Achazi. Rursus Matthæus facit Abiudem filium Zorobabelis, qui tamen non potuit esse filius illius naturalis, cum inter filios Zorobabelis, qui recensentur in Scriptura (*e*), nullus appelletur Abiud. Tandem Matthæus docet Joram fuisse patrem Oziæ, quod tamen de paternitate naturali intellectum est falsum, cum Joram fuerit pater Ochoziæ, Ochozias fuerit pater Joas, Joas Amasiæ, Amasias autem Oziæ. Ergo &c.

II. Falsum pariter est Jacobum debuisse suscitare semen fratris sui Heli mortui absque liberis, accipiendo in uxorem ipsius viduam; nam lex ad hanc suscitationem spectans loquitur quidem de fratribus ex eodem patre, sed non de fratribus uterinis, quales supponuntur Jacob & Heli. Ergo &c. Accedit quod, si Jacob duxisset uxorem Heli ad suscitandum illius semen, debuisset juxta legem (*f*) filius ex tali matrimonio natus appellari Heli. Non est ita appellatus. Ergo &c.

H 2 Ad

(a) 4. *Reg.* 23. (b) 4. *Reg.* 18.
(c) *Ibid. cap.* 16. (d) *Ibid.*
(e) 1. *Par.* 3. (f) *Deut.* 25.

Ad I. ℞ Prænotando Matthæum satis oſtendiſſe se texere genealogiam parentum Joſeph naturalium, cum conſtanter adhibuerit vocem *genuit*, quæ parentibus tantum naturalibus aptari poteſt, contra ac fecerit Lucas, qui non adhibuit vocem *genuit*, sed vocem *fuit* dicens unum fuiſſe alterius, quod æque bene poteſt explicari de parentibus legalibus. Nec subſiſtunt objecta, nam Salathiel fuit filius naturalis Jechoniæ, quin obſtet locus adductus, ubi non dicitur Jechoniam sine liberis futurum, sed futurum sine liberis hæredibus regni Juda. En integer textus: *Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus suis non proſperabitur, neque erit de ſemine illius vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda*. Et sane alibi (*a*) octo numerantur filii Jechoniæ, inter quos eſt etiam Salathiel.

Ubi etiam obiter noto aliquos suſpicari, ne Salathiel, & Zorobabel, de quibus Matthæus, sint diverſi ab illis Zorobabele, & Salathiele, de quibus Lucas: etenim ab illis, quos recenſet Matthæus, uſque ad Joſephum 9. solum sunt gradus, ab illis vero, quos recenſet Lucas, sunt 19. Hæc conjectura multum haberet roboris, si aliunde non conſtaret aliquas generationes fuiſſe a Matthæo omiſſas, sed cum hoc conſtet, quare non potuit ipſe etiam hoc loco aliquas generationes prætermittere, quæ cum enumeratis ab ipſo correſpondeant numero a Luca aſſignato? Negari tamen non poteſt, quin res sit incerta.

Ad id, quod additur ℞. duos diſtinguendos eſſe Jechonias unum filium Joſiæ, alterum nepotem, & prioris Jechoniæ filium. Mortuo enim Joachaz Joſiæ filio electus eſt a Rege Ægypti Eliachim alter filius Joſiæ, qui etiam dicebatur Joachim, & Jechonias, & hic eſt primus Jechonias.

(a) 1. *Par.* 3.

nias. Hic per 11. annos varia & ancipiti fortuna tenuit regnum Juda, & tandem obiit, filiumque reliquit binominem dictum scilicet & Joachim & Jechoniam, qui 3. mensibus exactis in regno fuit deportatus captivus in Babylonem, subrogato ipsi a Rege Babylonis Sedecia altero filio Josiæ, & hujus Jechoniæ patruo. Hinc Matthæus, cum asserit Josiam genuisse Jechoniam, & fratres ejus in transmigratione Babylonis, indicat primum Jechoniam; cum vero subdit: *Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel*, indicat secundum. Vere igitur Josias genuit Jechoniam. Adde, quod etsi Jechonias non fuisset filius, sed tantum nepos Josiæ, adhuc verificaretur illum fuisse genitum a Josia, cum nepotes dicantur geniti ab avis si non immediate, saltem mediate.

Ad aliud respondet S. Hieronymus ab Achazo 11. annorum revera fuisse genitum Ezechiam, quod effræni Achazi libidini tribuit, monens insuper illam ætatem, quamvis ordinarie ineptam generationi, in aliquo tamen extraordinario casu esse posse aptam. Et sane Fridericus Spanhemius (*a*) hanc ætatem quandoque generationi esse aptam probat exemplo a Scaligero narrato de puero, qui minor annis 11. genuit ex puella consobrina sua, quæ nondum 10. annos expleverat. Quod narratur de eodem Achaz, qui transtulit filium suum per ignem, non est ita intelligendum, ut eundem combusserit, sed solum ut lustraverit, & consecraverit Idolo Moloch.

Quamvis autem Abiudis inter filios Zorobabelis in libris Paralipomenon mentio non habeatur, nihil refert. Nam fortasse id factum est ex quo Sacer Scriptor eos tantum filios Zorobabelis voluit recensere, qui illustres fuerunt, non ve-

(a) *Part. 2. dubio Evang. dub.* 5.

ro qui ad statum privatum & objectum fuerunt redacti, qualis fortasse fuit Abiud. Et sane quamvis numerentur filii Zerobabelis, non tamen asseritur nullos fuisse alios ipsius filios, nisi recensitos. Addo potuisse unum ex his esse binominem, adeoque etiam Abiudem appellatum. Cæterum Mattheus hujus Abiudis personam & nomen collegit ex tabulis genealogicis, quæ apud Hebræos tunc magna cura & religione custodiebantur, & quæ nunc omnino perierunt.

Tandem nihil refert, si a Matthæo aliquæ generationes sint prætermissæ, nam, ut supra dixi, tam de patre potest affirmari, quod genuerit filium, quam de avo vel proavo dici potest, quod genuerit vel nepotem vel pronepotem. Quod si quæratur, cur Matthæus aliquas generationes omiserit; ℟ hanc inter alias afferri rationem, quod ipse personas genealogia Christi contentas in tres partes æquales dividere voluit, quarum singulæ 14 personis constarent. Ut autem 14. tantum essent in qualibet parte, aliquæ ex iisdem personis erant necessario omittendæ. Ergo &c.

Ad II. ℟.; quod lex illa nedum afficiebat fratres ex patre, sed etiam alios conjunctos, ut constat exemplo Booz (*a*) qui, cum post alium, qui noluit Ruth accipere in uxorem, esset proximior Mahaloni priori marito Ruth, ipsam duxit ad suscitandum ejusdem Mahalonis semen, quamvis hujus non esset frater. Extendebatur ergo etiam ad fratres uterinos. Liberum autem fuisse in hypothesi talis matrimonii filium ex illo susceptum non appellare nomine prioris mariti, patet ex eodem facto Booz; hic enim filium susceptum ex Ruth Mahalonis vidua non Mahalonem, sed Obed appellavit.

Alter modus conciliandi simul utramque genealogiam Matthæi & Lucæ hic est. Docent illius

---

(a) *Ruth*. 4.

lius auctores Matthæum texuisse genealogiam Josephi, Lucam Mariæ. Faciunt itaque Jacobum, de quo Matthæus, patrem naturalem Josephi cum Julio Africano. Heli autem, de quo Lucas (quem dicunt appellatum etiam fuisse Joachim vel Eliam, vel Eliachim; hæc enim nomina faciunt synonima) non faciunt patrem Josephi nec legalem quidem, sed Mariæ.

Hujus porro systematis defensores dividuntur in assignanda illius ratione. Alii illud *qui fuit Eli* (*a*) intelligunt de Josepho, quem dicunt fuisse Heli, non quod esset ejus filius, sed quod esset ejus gener. Observant, enim quod Lucas (ad differentiam Matthæi semper adhibentis vocem *genuit* indicantem paternitatem naturalem) adhibet vocem *fuit*, quæ non necessario hanc paternitatem indicat, ut cum ibidem de Adamo dicitur, *qui fuit Dei*, non indicatur Deum fuisse patrem naturalem Adami. Potest ergo, inquiunt, salvari, quod Joseph fuerit Heli, per hoc, quod fuerit ipsius gener, sive maritus ipsius filiæ, cum gener tam proprie dicatur aliquid soceri, ut etiam aliquando dicatur ipsius filius, sicuti nurus Nohemi dicuntur ipsius filiæ (*b*). Per hoc ergo Lucas, cum ex una parte vellet exponere genealogiam Christi deductam ex Maria, quæ, ut ipse habet, conceperat de Spiritu Sancto, & cum ex altera nollet Mariæ mentionem facere, nè Hebræorum mori adversaretur genealogias nunquam texentium per fœminas, ipsi Mariæ, quæ fuit filia Heli, substituit Josephum ipsius virum, implicite tamen per hoc dicens Mariam esse filiam Heli, quia in tali filiatione fundabatur quod dixit, *Joseph fuisse Heli*.

Alii illud *qui fuit Heli* non referunt ad Josephum, sed ad Christum; faciunt enim verbo-

(a) *Luc*. 3. (b) *Ruth*. 1.

rum Lucæ (*a*): *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli*, hunc esse sensum: *Ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui tamen Jesus erat Heli:* ubi, ut patet, prætermittitur Maria ob rationem supra indicatam.

Duo maxime contra hanc expositionem opponuntur. Primum est, quod juxta hanc Christus a Davide non per Salomonem natus sit, sed per Nathanem, quod tamen videtur esse contra Scripturam: alterum, quod fuerit ignota Sanctis Patribus. Sed ad primum respondent illius defensores gratis asseri Christum a Davide per Salomonem nasciturum; nullum enim extat de hoc indicium in Scripturis solum docentibus Salomoni promissum, ut posteri ejus semper possiderent regnum, nisi peccassent, non vero ut ex illo nasceretur Messias. Ad secundum vero respondet Calmet & hanc sententiam fuisse laudatam ab iis Patribus, qui docuerunt Lucam texere genealogiam Christi ut Sacerdotis; hanc enim non poterat dici Lucas texuisse nisi per Mariam. Patet ergo pluribus modis conciliari posse apparentem contradictionem, quæ in genealogiis Christi a Matthæo & Luca descriptis reperitur.

Sed jam dicendum de tertio ex propositis, quare scilicet Evangelistæ texuerint genealogiam Christi per Joseph, qui nullam habuit partem in ipsius generatione.

Si ergo quis adhærere voluerit sententiæ nuper propositæ statuenti Lucam texuisse genealogiam Christi per Mariam, jam (saltem quoad Lucam) sublata est difficultas. Si vero priori sententiæ adhæreamus statuenti utrumque Evangelistam texere genealogiam Joseph, res est pau-

(a) *Ibid.*

paulo operosior, sed tamen cum auctoribus talis sententiæ dicendum, proximo consanguinitatis gradu fuisse conjunctos Mariam & Josephum, ex quo sequitur quod texendo genealogiam Joseph & Mariæ genealogia texeretur, & consequenter Christi. Hæc responsio suadetur ex quo. Mattheus (de hoc prius speciatim loquor, de cujus genealogia, utpote quæ texitur per parentes Josephi carnales, specialis est difficultas) postquam texuit genealogiam Christi, aperte docuit ipsum non esse filium Josephi, inquit enim: *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu S. &c.* Quomodo ergo texebat genealogiam Christi per Joseph, si aperte profitebatur Josephum non esse Patrem Christi? non alio sane pacto, nisi quia texendo genealogiam Joseph, texebat etiam genealogiam Mariæ, quæ proximo consanguinitatis titulo illi erat conjuncta. Quinam autem fuerit determinate ille consanguinitatis gradus, quamvis aliqui animosiores definire velint, alii tamen cautiores fatentur se ignorare.

Idem proportionaliter dicunt hi auctores de Luca, qui & ipse fatetur (*a*) Josephum non fuisse patrem Christi naturalem. Addo non deesse qui putent Matthæum & Lucam non statuisse texere genealogiam veram Christi, sed tantum apparentem, & hoc ut se accomodarent usui Judæorum, qui genealogias per fœminas nunquam texebant, quo tamen non obstante, dicunt ipsi, Evangelistæ nullam errandi occasionem lectoribus præbebant, nam licet texerent genealogias Christi per Josephum, ex quo videbatur deduci, Josephum esse patrem naturalem Christi, cum tamen aperte docerent Christum ex Maria

(a) *Cap.* 1. & 3.

non ex Joſepho genitum eſſe, nullus remanebat locus putandi Chriſtum eſſe ipſius Joſephi filium.

ARTICULUS SECUNDUS.

Prædictum erat Meſſiam naſciturum ex Virgine. Circa hoc celebre eſt vaticinium Iſaiæ. Cum enim Reges Iſrael & Syriæ pugnarent contra Achaz Regem Juda, ac Jeruſalem Judaici regni Metropolim obſiderent, miſſus eſt a Deo ad ipſum Achaz Iſaias, qui promitteret ipſi liberationem ab obſidione. Cumque inſtaret Iſaias, ut Achaz peteret ſignum aliquod hujus liberationis, hicque nollet petere, dixit Iſaias Deum ipſum daturum hoc ſignum, inquiens: (a) *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum: quia, antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris a facie duorum regum ſuorum.* Hoc autem ſignum eſſe Meſſiam naſciturum ex Virgine docent omnes Catholici, cum ille, qui erat naſciturus, dicatur Deus, quod nonniſi de Meſſia dici poteſt, negant vero Judæi volentes, neç illo reſpici Meſſiam, nec, etſi reſpiceretur, denotari virginitatem matris ipſius talem, ut contendunt Chriſtiani.

Rationes ipſorum quoad primum hæ ſunt: De eo hic habetur ſermo, qui debebat eſſe ſignum mox futuræ promiſſæ liberationis Judæorum. Ergo de aliquo mox exituro, non de Meſſia, qui etiam per Chriſtianos non niſi poſt plura ſæcula a tali liberatione venire debebat, cum ſignum promiſſionis implendæ debeat præcedere

(a) *Iſai.* 1.

re ipsam impletionem, non subsequi; præcipue cum infra promittatur Reges inimicos discessuros a Judæa, antequam puer de quo sermo habetur, *sciat reprobare malum & eligere bonum*, quod sane de re proxime eventura debebat verificari, alias quamnam consolationem percepisset Achaz ex quo Reges inimici intra plura sæcula a Judæa essent discessuri? Præterea quæ sequuntur *butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum*, in Messiam cadere non possunt, qui, utpote juxta Christianos futurus Deus, ignorantiæ & profectus in scientia non est capax. Addunt, quod ille, de quo loquitur Isaias, non dicitur futurus Deus, sed vocandus Deus (*Emmanuel* enim idem sonat ac *nobiscum Deus*). Ergo non est Messias, qui juxta Christianos nedum est vocandus, sed etiam est vere futurus Deus. Volunt ergo illum, de quo hìc est sermo, vel esse Ezechiam filium Achaz, vel filium ipsius Isaiæ, de quo ipse habet; (*a*) *Et accessit ad prophetissam, & concepit & peperit filium . . . antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ &c.* Sed

Contra. De Messia utique nascituro ex Virgine hìc sermo habetur; omisso enim quod aliqui volunt Messiam nasciturum ex Virgine dici signum solum quatenus hoc erat futurum res mirabilis & insolita, adverto duplex esse potuisse signum mox futuræ promissæ liberationis Judææ, primo signum promissionis implendæ, secundo signum commemorativum promissionis jam impletæ. Utroque modo conceptus & partus Virginis etsi post multum temporis futurus poterat adstrui ut signum promissæ mox eventuræ liberationis. Poterat adstrui ut signum promis-

(a) *Cap. sequent.*

sionis implendæ non quidem conceptus, & partus actualis Virginis, sed illius revelatio, quasi Deus ita loqueretur: *Ut speretis a me fore liberandam Judæam ab inimicis suis, quod vobis difficile videtur, sciatis me facturum quod est difficilius, ut scilicet virgo concipiat & pariat filium*. Porro quamvis liberationem Judææ non præcesserit actualis conceptus & partus Virginis, illam tamen præcessit jam dicta revelatio. Poterat etiam ut signum commemorativuum promissionis jam impletæ assignari conceptus & partus Virginis consideratus ut actualis, quia scilicet, cum Virgo concepisset & peperisset, facienda erat commemoratio jam præteritæ liberationis. Hujus speciei signorum subsequentium rem significatam exemplum suppeditat illud Dei ad Moysen: (a) *Hoc habebis signum, quod miserim te: cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum*: hic enim futura immolatio facienda post exitum Israelitarum ex Ægypto exhibetur a Deo ut signum missionis Moysis jam antecedenter habitæ.

Nec officit quod subditur; primo enim aliqui puerum, de quo dicitur, quod, *antequam sciat reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur &c.* volunt non esse Messiam, sed alium puerum, vel filium Isaiæ, de quo infra (b) est sermo, vel puerum in genere, ita ut hic sit sensus: antequam transeat tempus, quo pueri solent acquirere usum rationis, liberabitur Judæa, quo tamen non obstante contendunt priora verba: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*, referri ad solum Messiam, a quo volunt postea transitum fieri ad alium puerum (ubi nota per omnes nec primum nec secundum puerum potuisse esse Ezechiam, qui, cum regnare cœpit ip-

(a) *Exod.* 3. (b) *Cap.* 8.

ipsius pater Achaz, erat 10. annorum, hic enim 16. annis regnavit (*a*), & ipsi mortuo immediate successit Ezechias, qui tunc erat 25. annorum): secundo litteralius ille puer est Messias, de quo non dicitur simpliciter, quod, antequam sciat reprobare malum & eligere bonum, liberabitur Judæa, sed quod destruentur regna Israel & Syriæ, quasi dixerit Deus: *Conceptus Messiæ ex virgine est signum, quod exhibeo mox futuræ liberationis Judææ: imo addo, quod, antequam ipse Messias ad ætatem adultam pervenerit, regna horum duorum regum tibi o Achaz modo inimicorum omnino destruentur*: quod indicatur per aliud: *derelinquetur terra, quam tu detestaris* (scilicet cui dominantur hi Reges inimici) *a facie duorum Regum suorum*.

Quod additur de hoc puero: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum*, non indicat ignorantiam, & profectum in scientia, sed indicat Messiam Hebræorum more favis mellis & lacte pascendum, usque dum perveniat ad ætatem, in qua pueri solent usum rationis acquirere, vel usque dum acquirat scientiam rerum experimentalem, vel indicat Messiæ mansuetudinem, doctrinam, atque spiritualium donorum copiam, & ubertatem.

Quod tandem additur, futile omnino est: *vocari* enim in Scripturis subinde sumitur pro *esse*. ut cum infra dicitur de eodem Messia: (*b*) *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis*. Ergo &c.

Rationes vero Judæorum, quibus contendunt etiam dato, quod de Messia hic sermo habeatur, non tamen indicari virginitatem matris ipsius, saltem ut contendunt Christiani volentes per

---

(a) 4. *Reg.* 16. & 18. (b) *Isai.* 9.

per conceptum & partum ejusdem Messiæ non lædendam virginitatem matris ipsius. hæ sunt. Vox hebraica *Halma*, quam Interpres latinus vertit *Virgo*, non virginem, sed tantum *puellam absconditam* significat licet non virginem, & ita de facto Aquila & Symmachus vertunt. Immo alibi in Scripturis hæc vox *Halma* expresse sumitur pro puella non virgine, ut cum dicitur: (*a*) *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viam navis in medio mari, & viam viri in adolescentia*, ubi illud in *adolescentia* in hebræo est ad *Halmam*, quo tamen loco denotari mulierem non virginem sed corruptam, probat quod immediate subditur: *Talis est via mulieris adulteræ*. Ita etiam sumitur hæc vox, cum simul cum uxoribus & concubinis Regis in hebraico numerantur (*b*) *Halmæ* idest puellæ ad ipsius Regis voluptatem servatæ, quæ procul dubio virgines non erant. Addunt Hebræi, quod etsi vox *Halma* apud Isaiam denotaret virginem, non tamen denotaret virginitatem matris Messiæ, ut contendunt Christiani, cum solum significaretur ipsum Messiam nasciturum ex muliere, quæ antecedenter fuerat virgo. Sed

Contra. Vox *Halma* in Scripturis semper denotat virginem. Nec obstat, quod Aquila & Symmachus verterint *abscondita* vel *abdita*; his enim nominibus propriissime virgo exprimitur, quæ a viris abscondita est, & *cujus non est revelata turpitudo* (qua phrasi denotant Scripturæ concubitum viri cum fœmina). Sumitur etiam pro virgine in Proverbiis, ubi sensus est, esse admodum difficile vel cognoscere quanam via incessuri sint virgines impuberes, idque ob in-

---

(a) *Prov.* 30. (b) *Cant.* 6.

instabilitatem mentis ipsorum, ut aliqui volunt, vel, ut volunt alii, cognoscere machinationes, quibus viri virginibus insidiantur, vel tandem, ut contendunt alii, cognoscere, utrum vir accesserit ad virginem (idque ob summam curam, qua scelus hoc solet occultari). Adultera autem, quæ postea commemoratur, non est illa *Halma*, de qua supra, sed est alia, quæ solum adducitur in exemplum difficultatis cognoscendi res ut sunt, cum adultera omni studio curet abscondere adulterium suum. (Omitto responsionem plurium docentium per illa verba *viam viri in Halma* denotari mysterium incarnationis, quod ideo omitto, nè forte, si hìc adhiberetur contra Hebræum, videretur supponi quod est in quæstione). Alio loco ex Canticis revera denotantur virgines, quæ expresse distinguuntur a reginis & concubinis. Addo, quod hæ virgines poterant etiam esse reservatæ ad voluptatem Regis, quæ idcirco erant quidem virgines, cum ita reservarentur, sed postea erant virginitatem amissuræ. Ex his patet quam merito dicat S. Hyeronymus: (a) *Ostendant Judæi in Scripturis alicubi positum Halma, ubi adolescentulam tantum non virginem sonet, & concedimus eis illud, quod in Isaia apud nos dicitur: Ecce Virgo concipiet & pariet filium, non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam.*

Quod tandem additur ineptum est. Cum enim in hac prophetia adstruatur prodigium ad erigendam fidem Achaz, adstruitur profecto conceptus & partus virginis intacta virginitate; quale est enim prodigium, quod illa, quæ erat antecedenter virgo, concipiat & pariat amittendo virginitatem? Addo, quod licet in hypothesi adversariorum posset utcumque asseri virginem

---

(a) *In adduct. locum Isai.*

nem concepturam, quatenus quæ concepit potuit esse virgo, quæ postea concipiendo virginitatem amittat, non tamen posset asseri virginem parituram, cum diu ante partum quæ parit virginitatem amiserit, cum scilicet generavit; & tamen utrumque dicitur in prophetia. Ergo &c.

Locus hìc esset ostendendi Mariam matrem Christi revera virginem permansisse non obstante conceptu & partu Christi; sed quoniam de virginitate Deiparæ agendum erit dissertatione sequenti, cum impugnabuntur errores Hæreticorum circa incarnationem, ideo ad illum locum hanc tractationem remitto.

ARTICULUS TERTIUS.

Reliqui Messiæ characteres saltem principaliores hi sunt.

Messias debebat esse Deus; dicitur enim: (*a*) *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel* (idest *nobiscum Deus*). Rursus: (*b*) *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri seculi, princeps pacis*. Rursus: (*c*) *Ecce Deus noster iste expectavimus eum, & salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus & lætabimur in salutari ejus*: & infra: (*d*) *Deus ipse veniet & salvabit vos*. Tandem dicitur: (*e*) *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Jacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Christum porro fuisse Deum multis argumentis probari potest, quo-

(a) *Isai*. 7. (b) *Isai*. 9.
(c) *Isai*. 25. (d) *Cap*. 35.
(e) *Baruc*. 3.

quorum principaliora cum partim sim adducturus in decursu hujus Tractatus, partim adduxerim in Tractatu de Virtutibus Theologicis, ubi egi de motivis credibilitatis religionis nostræ, ideo nihil hic ulterius dicam.

Messias erat nasciturus in Bethleem; dicitur enim: (*a*) *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda, ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Hoc de Christo verificatur, de quo dicitur: (*b*) *Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda &c.*

Messiæ erant offerenda munera auri, & thuris, dicitur enim: (*c*) *Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent . . . & vivet & dabitur ei de auro Arabiæ:* & alibi; (*d*) *Omnes de Saba venient aurum & thus deferentes*. At hoc verificatum fuit in Christo, de quo dicitur: (*e*) *Cum natus esset Jesus in Bethleem . . . Ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam dicentes, ubi est, qui natus est, Rex Judæorum . . . & intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrram.*

Messias in Ægypto aliquando erat mansurus: (*f*) *Ex Ægypto vocavi filium meum*. At hoc Christo convenit, de quo dicitur: (*g*) *Consurgens* (Joseph) *accepit puerum & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis.*

Mes-

(a) *Mich.* 5. (b) *Matt.* 2.
(c) *Psalm.* 71. (d) *Isai.* 60.
(e) *Matt.* 2. (f) *Osee* 11.
(g) *Matt.* 2.

Messiæ præire debebat Præcursor; dicitur enim: (a) *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis*. De hoc Præcursore alibi dicitur: (b) *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri &c.* At hoc in Christo verificatum fuit, cujus Præcursor fuit Joannes Baptista: dicitur enim: (c) *In diebus illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, & dicens: pœnitentiam agite appropinquavit enim regnum cœlorum*.

Messias debebat esse propheta; de illo enim dicitur: (d) *Judæi & Sacerdotes eorum consenserunt eum* (Simonem) *esse ducem suum, & summum Sacerdotem in æternum, donec surgat propheta fidelis*. At prophetiarum Christi superfluum est hic afferre peculiaria exempla cum illarum plena sint Evangelia, adeo ut turbæ de illo dicerent: (e) *Propheta magnus surrexit in nobis*.

Messias debebat prædicare gentibus legem divinam juxta illud: (f) *Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus*. At prædicator fuit Christus, de quo dicitur: (g) *Cœpit Jesus prædicare & dicere: pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum . . . & circuibat Jesus totam Galilæam docens in synagogis eorum, & prædicans evangelium regni*.

De Messia dicitur, quod consolaturus erat languentes, quod restituturus erat cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum

---

(a) *Malach.* 3.
(b) *Isai.* 40.
(c) *Matt.* 3.
(d) 1. *Malach* 24.
(e) *Luc.* 7.
(f) *Isai.* 55.
(g) *Matt.* 4.

sum, mortuis vitam. Ita: (*a*) *Spiritus Domini super me . . . . ut consolarer omnes lugentes*: & supra: (*b*) *Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cœcorum videbunt*: rursus: (*c*) *Deus ipse veniet & salvabit vos . . . Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutuorum*: tandem: (*d*) *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent, expergiscimini & laudate, qui habitatis in pulvere*. Hæc autem omnia Christo conveniunt, de quo dicitur: (*e*) *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat & sanabat omnes*: rursus: (*f*) *Respondens Jesus ait illis: euntes renunciate Joanni quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*.

De Messia dicitur, quod ingressurus erat Jerusalem sedens super pullum asinæ: (*g*) *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: ecce Rex tuus venit tibi justus & salvator, ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ*. Hoc de Christo verificatum est, nam dicitur: (*h*) *euntes disciputi . . . . adduxerunt asinam . . . . & eum desuper sedere fecerunt*.

Messiæ prædicitur passio: prædicitur enim vendendus 30. argenteis: (*i*) *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*. Prædicitur deserendus a suis: (*l*) *Circumspexi & non erat auxiliator, quæsivi & non fuit qui adjuvaret*. Prædicitur accusandus a falsis testibus: (*m*) *Insurrexerunt in me testes iniqui*. Prædicitur patienter omnia tolleraturus: (*n*) *Oblatus est, quia ipse*

(a) *Isai.* 61.
(b) *Ibid.* 29.
(c) *Ibid.* 35.
(d) *Ibid* 26.
(e) *Luc.* 6.
(f) *Matt.* 11.
(g(*Zach.* 9.
(h) *Matt.* 21,
(i) *Zach.* 11.
(l) *Isa.* 63.
(m) *Psalm.* 26.
(n) *Isai.* 53.

ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tundente se obmutescet, & non aperiet os suum. Prædicitur percutiendus, & conspuendus: (*a*) *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Prædicitur condemnandus a Principibus, & Magistratibus: (*b*) *Abstiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Prædicuntur fodienda illius manus & pedes, & dividenda illius vestimenta: (*c*) *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea . . diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Prædicitur cum scelestis hominibus uniendus: (*d*) *Cum sceleratis reputatus est.* Prædicitur rogaturus pro inimicis: (*e*) *Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Prædicitur potandus aceto & felle: (*f*) *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Prædicitur tandem moriturus: (g) *De angustiis & de judicio sublatus est, generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium, propter scelus populi mei percussi eum . . . Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate . . . Ideo dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam.*

Hæc autem omnia de Christo sunt adamussim verificata; ipse enim fuit venditus 30. argenteis: (*h*) *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes Sacerdotum, & ait illis: quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei* tri-

(a) *Isai.* 50. (b) *Psal.* 2.
(c) *Psal.* 21. (d) *Isai.* 53.
(e) *Ibid.* (f) *Psal.* 68.
(g) *Isai.* 53. (h) *Matt.* 26.

triginta argenteos. De ipso, cum fuit a satellitibus comprehensus, dicitur: (*a*) *Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt*. Ipse fuit a falsis testibus accusatus: (*b*) *Venerunt duo falsi testes, & dixerunt Hic dixit, possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud*: Ipse (*c*) *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste* De ipso dicitur: (*d*) *Tunc expuerunt in faciem ejus & colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in facem ejus dederunt*. Contra ipsum (*e*) *stabant principes Sacerdotum, & scribæ constanter accusantes eum*. Ipsum Judæi crucifixerunt, & (*f*) *postquam crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes* . . *Cum eo crucifixi sunt duo latrones, unus a dextris & alter a sinistris*. Ipse rogavit pro suis inimicis: (*g*) *Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*. Ipsi exhibitum est vinum cum felle mixtum: (*h*) *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum* . . . . *& currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere*. Ipse tandem in cruce mortuus est: (*i*) *Jesus autem iterum clamans voce magna emisit spiritum*.

Obj. Plures sunt characteres de Messia expressi in Scripturis, qui Christo non conveniunt; nam de Messia dicitur, quod ipsius adventum præcedere debet Elias (*l*): quod venturus est novissimis diebus (*m*) quod allaturus est pacem & abundantiam (*n*): quod subjugabit gentes omnes

(a) *Ibid.*
(b) *Ibid.*
(c) 1. *Petr.* 2.
(d) *Matt.* 26.
(e) *Luc*, 23.
(f) *Matt.* 27.
(g) *Luc.* 25.
(h) *Matt.* 27.
(i) *Ibid.*
(l) *Malach.* 4.
(m) *Isai.* 2.
(n) *Psal.* 71.

nes imperio suo (*a*) quod debellabit Gog & Magog (*b*): quod in diebus illius lux lunæ erit ut lux solis, & hæc septuplo major, quam erat antea (*c*): quod ipse restaurabit templum Jerosolymitanum (*d*): quod salvabit Judæos, & congregabit illos in terram promissam (*e*). Nihil ex his videmus verificatum in Christo. Ergo &c.

℟. Duplicem distingui in Scripturis adventum Messiæ, unum humilem, alterum gloriosum, utrumque autem in Christo agnoscendum. Primo scilicet Messias debebat venire humilis & abjectus ad homines redimendos, & ita jam venit Christus temporibus Herodis: secundo veniet Messias gloriosus & terribilis ad judicandos homines, & ita veniet Christus in fine mundi. Sane ad hos duos adventus distinguendos nos cogunt ipsæ præditiones, quæ in veteri Testamento habentur; aliquando enim Scriptura nobis repræsentat Messiam pauperem, humilem, pacificum, calumniis impetitum, tormentis cruciatum, ab omnibus derelictum, aliquando illum repræsentat divitem, gloriosum, bellatorem, triumphatorem &c. Sub hac ergo duplici forma debebat Messias venire. At priusne in gloriosa, an in humili? Profecto prius in humili; ideo enim prius venturus erat, ut satisfaceret pro peccatis hominum, ut eos verbo & exemplo in viam salutis dirigeret, quæ omnia ut præstaret, debuit potius in humili, quam in gloriosa forma venire. His autem semel præstitis ipsi tandem debebatur gloria & honor ipsius meritis correspondens, adeoque nil mirum, si tandem gloriosam formam induere debebat, & in ea apparere.

Juxta

(a) *Psalm*. 2. (b) *Ezech*. 39.
(c) *Isai*. 30 (d) *Ezech*. 40.
(e) *Jerem*. 23.

Juxta hos duos adventus explicari debent loca Scripturarum, quæ de Messia loquendo pugnantia inter se præseferre videntur; quæ enim de humili & abjecta Messiæ conditione loquuntur, referri debent ad primum illius adventum, & hæc omnia fuerunt in Christo verificata; quæ autem de gloria ipsius, ad secundum, & hæc adimplebuntur in fine mundi. Porro loca in objectione adducta de gloria Messiæ loquuntur. Ergo ad secundum ipsius adventum potius, quam ad primum referri debent.

Hæc autem loca partim litteraliter intelligenda sunt, partim mystice. Litteraliter intelligendus est primus & secundus; nam revera Elias ante diem judicii prædicabit gentibus pœnitentiam, & Christus ad judicandum veniet in fine mundi; mystice autem omnia alia, quatenus tunc pacem & abundantiam completam cœlestium donorum dabit Christus electis suis: omnes gentes subjugabit imperio suo, ita ut omnes homines vel per præmia, quibus fruentur, vel per pœnas, quas luent (quod verificatur de impiis per Gog & Nagog designatis) fateantur Christum esse summum Judicem, & dominatorem omnium: ipsius electi ad illam civitatem evehentur, ubi non egebunt lumine solis; nam claritas Dei illuminabit illos: hæc civitas erit templum non materiale, sed spirituale a Christo instauratum, in quo omnes electi, qui metaphorice per Judæos in terram promissam congregandos designantur, tamquam Sacerdotes offerent juge laudis sacrificium Deo.

Sæd etsi loca adducta vellemus de primo adventu Messiæ explicare, habemus unde ostendamus ea in Christo esse impleta. Præcessit adventum Christi Elias non in se, sed in spiritu, Joannes scilicet Baptista, qui Eliæ typum gessit. Venit Christus in novissimis diebus, quatenus dies Christi fuerunt postremi veteris Testamenti, & ad quos veluti ad finem dirigebantur omnes dies antiqui. Attulit pacem spritualem

lem, & spiritualium donorum abundantiam electis suis; nam per ipsum (*a*) *maxima* Deus iisdem & *pretiosa promissa donavit*. Omnes gentes imperio suo subjugavit non utique temporali & terreno, sed spirituali & cœlesti, prædicatione sua & Apostolorum suorum mores hominum reformando, & fundando Ecclesiam, cui voluit omnes nationes aggregari. Debellavit Gog & Magog evertendo Idololatriam, & destruendo regnum Diaboli per mortem suam. In illius diebus aucta est lux solis & lunæ, quatenus multa docuit Christus, quæ antea erant penitus ignota. Restauravit ipse templum non utique materiale, sed spirituale; nam corda hominum disposuit, ut essent Spiritus S. habitaculum, & filios Israel congregavit in terram promissam, quatenus Judæis primum exhibita est Evangelica prædicatio, qua ad æternam gloriam veram promissionis patriam veherentur.

ARTICULUS QUARTUS.

Antequam huic capiti finem imponam, censeo non prætereunda duo testimonia, quæ Christo dederunt scriptores minime Christiani, quæque hucusque allata ex Scripturis circa ipsum Christum mire confirmant, vimque maximam habere debent tum contra Judæos, tum contra Gentiles.

Primum est testimonium Flavii Josephi, qui de Christo hæc habet (*b*): *Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, Magister hominum, qui vera libenter amplectuntur, & plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic*

erat

(a) 2 *Pet.* I.
(b) *Lib.* 18. *antiquit. cap.* 3 *ol.* 4.

erat Christus. Cumque eum a primoribus gentis suæ accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt qui primum cœperant; nam post tertium diem redivivus ipse apparuit, cum divini vates hæc aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo genus Christianorum.

Scio hoc testimonium nedum a Judæis, sed etiam a Christianis quibusdam ut supposititium respui; nam dicunt ipsi.

I. Incredibile est Hebræum de viro Hæbræis tam inviso splendidum hoc edidisse testimonium, quo & dicit ipsum fuisse Christum, & ipsius miracula, & resurrectionem, & quasi etiam divinitatem fatetur per illa: *si tamen virum illum oportet dicere*, præcipuæ cum ipse Josephus alibi, quæ de Messia prædicuntur, aptet Vespasiano.

II. Si hoc testimonium genuinum esset, illud non omisissent Patres, qui scripserunt pro Christiana religione, ut Justinus, Clemens Alexandrinus, & Origenes, ac recensuisset vel ipse Photius, qui diligentissime, quæcunque scripsit Josephus, recensuit, cum tamen nec in antiquis illis Patribus, nec in Photio ulla de hoc testimonio mentio habeatur: quinimo Origenes & Theodoretus diserte affimant a Josepho nunquam fuisse agnitum Jesum ut Christum, & ipse Photius (*a*) abjudicat Josepho librum de *Universo* ab aliquibus ipsi Josepho tributum, quia in eo libro Christus dicitur Deus, & describitur æterna ipsius generatio, quod ipse judicat alienum a mente Josephi. Hæc autem ratio æque militat contra testimonium de quo supra.

(a) *Cod.* 48.

III. Hoc testimonium esse supposititium probat, quod abrumpat seriem historiæ; immediate enim antea narrat Josephus plures calamitates Judæorum sub Pilato, & immediate post subdit aliam calamitatem dicens: *Circa eadem tempora etiam aliud Judæos turbavit incommodum*, quod ostendit hoc postremum connectendum esse cum prioribus prætermisso illo testimonio.

IV. Idem ostendit styli dissimilitudo a stylo Josephi, & falsitas illorum quæ in dicto testimonio habentur; ubi enim dicitur Christum accivisse multos ex Gentilibus, cum tamen ex illis præter unam, aut alteram fœminam nullus Christum secutum sit.

Sed his non obstantibus genuinum dicendum est hoc testimonium; nam illud adducit Eusebius Cæsariensis auctor 4. sæculi in sua demonstratione Evangelica, quem, si testimonium falsum adduxisset, certe Judæi ipsi confutassent proferendo emendatos Josephi codices, in quibus hoc testimonium non haberetur; nec tamen scimus unquam Judæos reclamasse. Rursus extat hoc testimonium in antiquissimis MS. puta Bibliothecæ Palatinæ, Cæsareæ, Mediceæ, in eo, quod legit Hieronymus, in eo, quod legit Cassiodorus, quos profecto exemplaria depravata habuisse non est credibile. Accedit conveniens fuisse, ut aliquando de Jesu Joseph scriberet, qui summa diligentia res apud Judæos illis temporibus gestas conscripsit. Hinc immerito de nobis conqueruntur Hæbrei, quasi addiderimus Josepho illud testimonium, cum è contra nos potiori jure de iisdem possimus conqueri, quod in plerisque exemplaribus illud abraserint, ut abraserunt in illo pervetusto codice, de quo Baronius ad annnm Christi 34. narrat, quod cum in illo Romæ dictum testimonium quæreretur, inventa est manifestissima illius abrasio, sicuti membrana ostendebat; & sicuti abraserunt ex antiquo codice Josephi asservato in Bibliotheca Sorbonica, in quo, ut narrat Tournely, deest

qui-

quidem hoc testimonium, sed simul deest pagina, in qua deberet esse descriptum, ut colligitur ex lemmate capitulorum hujus libri, in quo de Jesu Christo fit mentio.

Ad illa autem, quæ contra dictum testimonium adducuntur facile respondetur, &

Ad I. quidem dicendo Josephum quamvis Hebræum non debuisse sinceri historici partes prætermittere, cujus est res gestas semoto partium studio narrare. Debuit ergo quæ ad Jesum pertinebant sincere narrare, præcipue cum hæc essent tam nota, ut ea reticendo, vel aliter narrando reliquis ab ipso narratis fidem imminuisset. Ipsum quidem dixit Josephus fuisse Christum, sed solum per hoc denotavit ipsum vocatum fuisse Christum, ut Pilatus eatenus solum scripsit supra crucem *Jesus Nazarenus rex Judæorum*, quatenus denotari voluit Jesum fuisse appellatum regem Judæorum. Si porro illius divinitatem quasi confessus est, vel id fecit, quia Christum agnovit ut Deum, quamvis exterius noluerit ob metum tum Hebræorum, tum Gentilium expresse confiteri (quod non debet esse mirum; nam etiam plures Gentiles Philosophi inanitatem plurium Deorum agnoverunt nec tamen falsam illorum religionem deseruerunt), vel, quod est verisimilius, revera Christi divinitatem non agnovit, sed solum oratorio veluti more verbis supra adductis de Christo fuit locutus, forsan ut gratificaretur Epaphrodito liberto Neronis, qui Christo nomen dederat, & cujus hortatu scribebat. Et sane Christum non fuisse agnitum ut Deum a Josepho probat quod in objectione adducitur, nimirum ipsum dicta de Messia tribuisse Vespasiano, & quod pro causa excidii Hierosolymitani assignat necem Jacobi, potius certe assignaturus necem Christi, si ipsum ut Deum agnovisset. Sed hæc licet evincant Christum non fuisse a Josepho agnitum ut Deum & Messiam, non tamen evincunt ipsum non agnovisse & confessum fuisse illius virtutem, miracula, resurrectionem &c.

Ad II. ℟. argumentum negativum in factis historicis, quæ pro se habent argumenta positiva ut omnibus notum est, parum valere. Ita ergo in casu. Adde forsan illos Patres incidisse in exemplaria jam ab Hebræis corrupta. Adde etiam necessarium non fuisse, ut hi Patres ad probandam Christi divinitatem adhiberent testimonium Josephi, cum ejus divinitas aliunde probari posset: præcipue cum illorum temporibus nullum esset dubium de vita, miraculis, & resurrectione Christi. Ad Photium quod attinet, plures ab auctoribus adducuntur responsiones, nimirum ipsum noluisse absolutissimum antiquitatum Judaicarum epitomen exhibere, cum 14. priores libros omiserit: & ipsum illius testimonii meminisse, dum (*a*) illius verba exscribit, quanquam Josephi non meminerit. Origenes porro & Theodoretus recte asserunt Jesum non fuisse agnitum ut Christum & Deum a Josepho; nam vel non dicit Jesum esse Deum, vel si dicit esse Deum & Christum, id non dicit ex propria sententia, vel, si ex propria sententia loquitur, facto dictis contradicit, cum ipsi Christo nomen non dederit, quod importat Jesum fuisse ut Christum & Deum speculative agnitum a Josepho, practice autem fuisse negatum. Recte etiam Photius librum *de Universo* adjudicavit Josepho; nam qui vel nullo modo Jesum agnovit Deum, vel ambigue tantum de ejus divinitate est locutus, inverisimile est quod ipsum postea ut Deum expresse confiteatur, & de divina Christi generatione loquatur, ut fit in illo libro.

Ad III ℟. primo, quod etsi laudatum testimonium abrumperet seriem historiæ, non esset mirum, cum digressiones apud Josephum sint frequentissimæ. ℟. Secundo per illud non abrum-

---

(*a*) *Cod.* 238.

rumpi hanc seriem; cum enim antecedenter de Pilato egisset Josephus, locus erat agendi etiam de Christo, cujus prædicatio, miracula, mors, & resurrectio sub eodem Pilato acciderant: unde postea rediit ad calamitates, quæ circa illa tempora Judæos vexarunt.

Ad IV. ℟. hanc styli dissimilitudinem gratis asseri; illam enim non agnoscunt peritissimi græci idiomatis (quo Josephus scripsit) Casaubonus, Usserius, Pearsonius, Vossius, Grotius, Valesius, Huetius, Martinius, Petitus, Pezronius, Natalis, Berti, Pagius, Daubug, imo hi duo posteriores genuinum esse testimonium probant ex identitate styli cum adhibito a Josepho in scriptis suis. Dici autem potest Christum accivisse plures ex Gentibus, tum quia ante ipsius mortem ad illum & Centurio & Samaritani, & probabiliter etiam aliqui ex iis Gentilibus, qui ipsum convenerant, ut narratur in Evangelio (*a*), conversi sunt, tum multo magis, quia plurimi Gentiles ad illum conversi sunt post illius mortem Apostolorum prædicatione & miraculis.

Alterum testimonium Christo datum ab extraneis, est quod suppediant acta Pilati. Hic scilicet cum audivisset, quæ de vita, miraculis, & resurrectione Christi a se jam morti traditi circumferebantur, totum detulit ad Tiberium, qui rerum novitate commotus Senatui proposuit Christum numerandum inter Deos, cum vero obstitisset Senatus honores divini Christo non sunt decreti. Rem totam ita narrat Tertullianus (*b*): *Tiberius . . . cujus tempore nomen Christianum in sæculum introivit, annunciatum sibi ex Syria Palestina, quod illic veritatem ipsius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Cæsar in sententia mansit commi-*

(a) *Jo.* 12. (b) *Apologet. cap.* 5.

minatus periculum accusatoribus Christianorum. Et infra (*a*) præmissa narratione mirabilium gestorum Christi subdit: *Ea omnia super Christo Pilatus & ipse jam pro sua conscientia Christianus Cesari tunc Tiberio nunciavit*. Ad hæc acta etiam Antoninum Imperatorem provocat Justinus Martyr (*b*): eorundem meminerunt Eusebius (*c*), Orosius, (*d*), S. Epiphanius (*e*), S. Gregorius Turonensis (*f*), Nicephorus, & alii.

Ex his autem refellitur quorundam modernorum Criticorum sententia hæc acta tanquam supposititia rejicientium; cum enim Patres adducti de illis ut de re illorum temporibus notissima loquantur, quis dubitet ea saltem prout tunc extabant non fuisse genuina? (Dixi *saltem prout tunc extabant*; non enim hìc defendo hæc acta prout modo circumferuntur) Idque præsertim, quia difficultates, quæ contra illa moventur, levissimæ sunt, puta quod videatur inverisimile aut Pilatum se accusasse, qui damnaverat innocentem, aut Tiberium, qui semper Judæis fuit infensus, curasse, ut divini honores homini Judæo decernerentur, aut Senatum voluntati Tiberii obstitisse; facile enim his occurritur dicendo Pilatum potuisse injustæ damnationis Christi culpam refundere in Judæos, qui damnandum Christum ei obtulerunt ut læsæ majestatis reum: Tiberium vero curando, ut divini honores Christo deferrentur, non rem gratam, sed molestam Judæis curasse, qui summo odio Christum prosequebantur: Senatum autem facile potuisse obsistere voluntati Tiberii, qui, ut ait Svetonius, ita injuriarum patiens erat, ut quædam adversus sententiam suam fieri videns ne questus quidem sit: præ-

(a) *Cap.* 2. (b) *Apolog.* 21.
(c) *Lib.* 2. *hist. cap.* 2. (d) *Lib.* 7. *cap.* 4.
(e) *Heres.* 50. (f) *Lib.* 1. *cap.* 24.

præterquamquod in promptu erat ratio, cur Senatus obsisteret voluntati Tiberii; nam non poterat ut Deus coli Christus, qui se unicum & verum Deum fatebatur, nisi tollendo omnes alios Deos: hoc autem utpote destructivum avitæ superstitionis Senatus Romanus execrabatur. Ergo &c.

DISSERTATIO III.

De natura a Verbo aſſumpta.

DIssertationem hanc in quinque capita divido. In 1. errores Hæreticorum circa incarnationem recensebo: in 2 agam de corpore a Verbo assumpto: in 3. de anima a Verbo assumpta: in 4. de unione Divini Verbi cum humana natura: in 5. de consectariis hujus unionis.

CAPUT PRIMUM.

Errores Hæreticorum circa incarnationem.

HOS errores ad quatuor classes revoco: 1. ad illos, qui versantur circa corpus Christi: 2. ad illos, qui versantur circa ejusdem animam: 3. ad illos, qui versantur circa unionem naturæ humanæ cum persona Verbi: 4. ad illos, qui versantur circa consectaria hujus unionis. De singulis classibus ex ordine.

ARTICULUS PRIMUS.

Circa corpus Christi errarunt primo sæculo Simon Magus docens Verbum non in forma veri hominis, sed specie tenus hominem apparuisse, & postea ejus discipuli Saturninus, Menander, & Basilides, qui addebat Christum non esse passum, sed pro eo passum esse Simonem Cyrenæum. Hunc errorem secuti sunt sæculo sequenti Marcion & alii, & 3. sæculo Manes, qui omnes dicti sunt *Phantasiastæ*, quod humanam Christi carnem phantasma dicerent.

Aliter circa corpus Christi erravit Apelles 2. sæculo, qui docuit Christum non ex Maria carnem sumpsisse, sed eam sibi ex elementis coagmentasse, quam in cœlum redeundo in priora elementa resolvit, ita ut dispersis quaquaversum omnibus sui corporis partibus solus spiritus in cœlum ascenderit. Corpus etiam Christi non de Maria fuisse desumptum docuit Apollinarius, de quo infra.

Ad errores Hæreticorum circa corpus Christi revocari potest error illorum, qui negarunt, hoc fuisse ex Maria desumptum intacta ejusdem Mariæ virginitate. Quo tamen loco distinguere oportet errores circa virginitatem Deiparæ; alii enim illam negarunt ante partum Christi, alii solum in partu, alii solum post partum. Virginitatem ante partum (præter Judæos volentes Christum ex Maria & Josepho per carnalem generationem ortum fuisse, adeoque Mariam concipiendo Christum virginitatem amisisse) negarunt primo sæculo Ebion & Cerinthus. Virginitatem in partu impugnarunt Tertullianus, aliique volentes Mariam, licet conceperit Christum illæsa virginitate, hanc tamen Christum pariendo amisisse per aperitionem vulvæ. Virginitatem post partum directe impugnarunt Helvidius & alii, qui concedentes Mariam in conceptu & in partu Christi virginem permansisse, putarunt tamen ipsam post

par-

partum Christi alios filios ex Josepho peperisse, adeoque virginitatem amisisse. Carnalem pariter Mariæ congressum cum S. Joseph post partum Christi admisit Tertullianus. Adverto autem non pertinere ad errores circa corpus Christi nisi errores contra virginitatem Deiparæ ante partum, & in partu ipsius Christi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Circa animam Christi errarunt 4. sæculo Ariani docentes Verbum assumpsisse corpus, non animam, cujus vices ipsum Verbum supplere dicebant. Ideo autem hoc adstruebant, ut humiles affectiones Christi Verbo tribuentes, quod tanquam anima corpus ipsius informabat, Verbum ipsum non dicerent verum Deum, in quo consistebat, ut alibi dixi, præcipuus illorum error. Veritatem pariter animæ Christi negavit eodem sæculo Apollinarius, qui tamen non in eadem semper fuit sententia; primo enim docuit, ut Ariani, Verbum non assumpsisse animam, deinde sententiam aliquatenus temperavit dicens non totam quidem animam Christo defuisse, sed tantum partem, illam scilicet, quæ mens appellatur.

ARTICULUS TERTIUS.

Circa unionem naturæ humanæ cum persona Verbi erravit primo sæculo Cerinthus, qui duas in Christo personas distinguens Jesum & Christum, dicebat Christum in Jesum descendisse sub columbæ specie, cum hic baptizatus est, sed post hujus passionem in cœlum revolasse. Ex quo patet Cerinthum non agnovisse in Christo veram & hypostaticam unionem utriusque naturæ, sed unionem dumtaxat late talem, inhabitationis scilicet & affectus, unde Jesum purum hominem fatebatur. Idem docuit eodem sæculo Ebion. Idem 2. sæculo Elusæi, necnon Carpocras, Theodotus Coriarius, Artemon, & 3. sæculo Paulus Samosatenus.

Sed qui præcipue ad hanc classem pertinet est Nestorius Episcopus Constantinopolitanus. Hic 5. sæculo docere cœpit unionem duarum naturarum in Christo non esse veram & realem, sed moralem dumtaxat & affectivam in hoc consistentem, quod Verbum in Christo habitaverit ut in suo templo, ipsi conjunctum fuerit peculiari amore & benevolentia, ipso ut instrumento usum sit ad operandum, & ipsi tribuerit participationem quandam divinitatis per hoc, quod Deus diceretur, & ut talis adoraretur, non quidem quatenus Deus esset, sed quatenus arctissimo nexu conjunctus erat personæ divinæ. Hunc errorem hauserat Nestorius ex Diodoro Tarsensi, & Theodoro Mopsuesteno.

Negabat igitur Nestorius unionem duarum naturarum in Christo esse hypostaticam, cum vellet illam esse tantum accidentalem & moralem: consequenter asserebat Christum esse Deum non natura & subsistentia, sed tantum gratia & adoptione; duas proinde in Christo distinguebat personas, divinam unam, humanam alteram, cujus posterioris cum mater esset Maria, volebat quidem ipsam dici *Christiparam* sed non *Deiparam*.

Nestorium primo amice corripuit S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, sed cum hic nihil proficeret, rem detulit S. Cœlestino Papæ, qui ipsi commisit, ut, si Nestorius in errore perseveraret, illum ab Ecclesia ejiceret, & ab Episcopatu. Congregavit igitur S. Cyrillus Synodum, ex qua epistolam misit ad Nestorium cum 12. capitulis, quæ totidem anathematismis ipsius feriebant hæresim, ei denuncians, nisi his suscriberet, ratam futuram propositam a Cœlestino damnationis sententiam. At Nestorius 12. & ipse capitula opposuit capitulis S. Cyrilli; quibus totidem blasphemias evomuit, ipsumque conatus est apud Imperatorem accusare.

His malis ut occurrerent tum Cœlestinus Papa, tum Theodosius junior tunc Imperator, Synodum generalem Ephesum convocarunt, quæ

anno

anno 431. habita est. Præsedit primo S. Cyrillus nomine S. Cœlestini, tum Arcadius & Projectus Episcopi, & Philippus presbyter ab eodem Pontifice missi. Ter vocatus Nestorius, ut se ab objecto errore purgaret, comparere recusavit. Lata proinde in eum a 200. Patribus, qui ad Synodum convenerant, depositionis sententia, & proscriptus ipsius error, adeoque definitum unicam, eamque divinam esse in Christo personam, adeoque ipsum esse verum Deum, & Mariam nedum Christiparam, sed etiam Deiparam esse appellandam.

Cum autem Joannes Patriarcha Antiochenus Nestorii amicus ad Synodum invitatus moras consulto nectisset, Patres illius moræ pertesi, non expectato illius adventu, sententiam in Nestorium protulerant. Ægre id ferens Joannes, ut Ephesum pervenit, Episcoporum sibi subjectorum conciliabulum collegit, in quo & Cyrillum, & legitimam synodum, & illius acta damnavit. Synodus e contra postquam Joannem & socios pluries admonuit, tandem eos quoque excommunicavit. Hinc nova dissidia. Utraque pars curavit, ut Imperator quæ ipsa gesserat rata haberet. Ipse fraudibus faventium Nestorio circumventus, aliquando legitimæ synodo infensus fuit, sed tandem cognita veritate illam approbavit, illiusque sententiam executioni mandari curavit. Pax etiam tandem inter S. Cyrillum & Joannem Antiochenum inita est.

Ubi etiam noto Joannem hunc ob gesta pro Nestorio in suspicionem Nestoriani erroris venisse, a quo tamen ipsum excusant Historici advertentes ipsum Nestorii quidem personæ favisse, sed non errori. Nam & ipse ante concilium Ephesinum Nestorium hortatus erat ad sanam doctrinam: in iis, quæ egit tempore Concilii, nihil apparet, ex quo videatur ipsum sensisse ut sentiebat Nestorius: post Concilium autem & Nestorium & ipsius errores damnavit.

tura in humanam sit conversa: tertio ita ut in divinam sit conversa natura humana. Quonam autem ex his modis facta sit naturarum confusio juxta Eutychetem incertum est. Probabilius tamen est ipsum in tertium modum propendisse; nam Eutychianus apud Theodoretum ait (*a*): *Ego dico divinitatem mansisse, humanitatem vero ab hac esse absorptam, ut si in mare mellis gutta fundatur, nam illa gutta statim evanescit.* Ex quibus sequitur Eutychetem negasse verum Christi corpus post unionem, illudque dixisse phantasticum, adeoque in errorem etiam Phantasiastarum tandem incidisse.

Incertum pariter quandonam juxta Eutychetem facta sit unio duarum naturarum in Christo, an scilicet in utero Virginis, an in cœlo, an aliter. Theodoretus (*b*) inducit Eutychianum asserentem unionem hanc factam in ipsa conceptione, deinde mutantem sententiam & asserentem factam solum post resurrectionem Christi, vel ascensionem. Et hæc quidem videtur esse clarior, quæ exhiberi possit, idea hæresis Eutychianæ cæteroquin vel ex imperitia vel ex malitia auctoris sui obscurissimæ.

Disseminare cœpit Eutyches hæresim suam anno Christi 448. Illam primo occulte tradidit suis familiaribus, quod cum cognovisset Eusebius Dorilæi Episcopus, & Eutychetem sæpius monuisset, ut ab incœpto desisteret, rem detulit ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum tunc temporis Concilium ad alias causas Constantinopoli celebrantem. Jussit Flavianus, ut Eutyches in Concilio compareret rationem redditurus fidei suæ. Hic post longam tergiversationem tandem in Concilium venit, a quo, cum fuisset agnitus in hæ-

resi

(a) *Dialog.* 2. (b) *Ibid.*

resi obstinatus, damnatus est. Sed ipse fultus auxilio Crisaphii Eunuchi, qui apud Imperatorem Theodosium plurimum valebat, quasi injuste fuisset damnatus, ab eodem Imperatore obtinuit, ut altera synodus Constantinopoli celebraretur, ut prioris acta examinarentur. Hæc habita est anno 449. admissis Eutychetis procuratoribus, & horum dolis, & favore Crisaphii illusum est priori legitimo judicio.

Obtinuit postea Eutyches ab Imperatore, ut altera synodus Ephesi celebraretur, in qua de priori causa ageretur. Huic voluit Theodosius ut præesset Dioscorus Alexandrinus Eutycheti amicissimus. Ad illam etiam misit S. Leo tunc R. Pontifex Legatos, qui tamen in synodum non sunt admissi, sed omnia tyrannice dirigente Dioscoro Eutyches est absolutus, & damnati Episcopi, qui in primo Constantinopolitano conventu Eutychetem damnaverant, inter quos ipse S. Flavianus, qui etiam ab Eutychianis fuit occisus. In Legatos quoque S. Leonis sævitum est, qui contra jus gentium a Dioscoro in carcerem sunt detrusi, unde elapsus unus ex iis Romam rediit, ac S. Leonem de gestis in hac Ephesina synodo, quæ etiam *synodus prædatoria* & *latrocinium* deinceps dicta est, certiorem fecit.

Interim Theodosius acta hujus Ephesinæ synodi confirmavit. Obstitit S. Leo, qui a Marciano jam Imperatore post Theodosium interim defunctum obtinuit, ut generalis synodus convocaretur ad turbas Ecclesiæ consopiendas. Hæc celebrata est Chalcedone anno 451., & in ea damnata est Eutychetis persona & doctrina, damnati quoque sunt Dioscorus, aliique impii archytecti synodi prædatoriæ. Post Chalcedonense tamen varias in sectas divisi sunt Eutychiani, quas singulas non est cur hìc enumerum.

Ad classem illorum, qui circa consectaria incarnationis erraverunt, revocari possunt etiam Monothelitæ. Secta hæc versus annum Christi 630. orta est. Primi illius auctores fuerunt quidam A-

tha-

thanasius Jacobitarum (secta hæc erat peculiaris Eutychianorum) Patriarcha, Sergius Patriarcha Constantinopolitanus, Cyrus Patriarcha Alexandrinus, & Theodorus Episcopus Pharanites. Horum error fuit non duas, sed unam tantum in Christo admittendam voluntatem & operationem.

Ut autem clarius, quoad fieri potest, hujus erroris percipiatur sensus, adverto duas fuisse Monothelitarum classes. Alii erant Eutychiani admittentes proinde in Christo unam tantum naturam, & hi patet quo sensu asseruerint unam tantum in Christo esse voluntatem & operationem; cum enim voluntas sit proprietas naturæ, & hujus effectus sit operatio, admissa una tantum natura consequens erat, ut una tantum admitteretur voluntas & operatio. Alii Eutychiani non erant, & proinde duas in Christo admittebant naturas, sed hoc non obstante unicam in ipso admittebant voluntatem & operationem hoc sensu, quod, licet duæ physice & realiter essent potentiæ volitivæ divina & humana, & duæ essent operationes, quatenus operabatur natura divina & humana, hæc tamen esset veluti instrumentum inanimatum voluntatis divinæ, ita ut divina humanam adhiberet, ut artifex serram adhibet ad secandum: unde sicuti una moraliter dicitur actio secandi quæ provenit a serra & ab artifice, sic una esset operatio, quæ provenit à voluntate divina & humana Christi.

Ad Honorium Papam scripsit Sergius, de quo supra, asserens non esse dicendas duas in Christo voluntates & operationes. Annuit Honorius, & hinc apud multos Monothelismi accusatur, sed a multis etiam defenditur, de qua re infra. Mortuo Honorio illi successit Severinus, sub quo Heraclius Imperator fidei *ecthesim* seu expositionem promulgavit prohibentem, nè vel unius vel duplicis in Christo operationis fieret mentio. Hæc ecthesis curavit tum Joannes IV., qui Severino brevi mortuo successerat, tum Theodorus Joannis successor, tum maxime Martinus I. successor Theodori,

dori, ut rescinderetur, imo hic Synodum Lateranensem congregavit, in qua & ectesim Heraclii & alterum simile edictum appellatum *typum* Constantis Heraclii nepotis damnavit. Sed in exilium ob id missus est Martinus, in quo ærumnis confectus obiit. Tandem sub Agathone, consentiente imo procurante Constantino Pogonato Constantis filio & successore, celebratum est anno 681. generale Concilium Constantinopolitanum III., in quo Monothelitarum hæresis est damnata, & definitum duas in Christo esse admittendas voluntates & operationes.

Ad hanc pariter quartam errorum classem revocari potest error Ubiquistarum, aliquorum scilicet recentiorum Lutheranorum docentium humanitati Christi ex ipsius unione cum divinitate tributa esse prædicata ipsius divinitatis, & speciatim immensitatem, ita ut ob hanc unionem humanitas etiam Christi cœperit esse ubique.

Isti notabiliores videntur esse errores circa incarnationem (dixi *notabiliores*; nam alii etiam sunt errores minus notabiles, de quibus pro re nata infra). Obiter aliqua supra dicta sunt ad illorum confutationem opportuna, sed in sequentibus agendo ex professo de natura a Verbo assumpta, ex professo etiam illos impugnabo adhibendo præcipue Evangelia, quorum divinam modo suppono auctoritatem, cum contta Hæreticos modo agam, qui communius hanc auctoritatem suscipiunt.

CAPUT SECUNDUM

De corpore assumpto a Verbo.

PRobabo 1. verum & reale corpus assumptum fuisse a Verbo: 2. illud fuisse genitum & natum de Maria: 3. illud fuisse genitum & natum de Maria salva ipsius Virginitate: 4. examinabo utrum omnes partes humani corporis a Verbo sint immediate assumptæ & unitæ hypostasi suæ: 5.

an assumpserit Verbum defectus humani corporis, & si assumpsit, quos assumpserit: 6. utrum facies Christi fuerat venusta, an deformis.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Verbum Divinum assumpsit verum & reale corpus*. Est de fide contra Phantasiastas.

Prob. ex Scriptura. I. ibi fit mentio de carne Christi, ut ubi dicitur (*a*): *Verbum caro factum est*, & ubi de Christo dicit Apostolus (*b*): *Qui in diebus carnis suæ preces . . . offerens exauditus est pro sua reverentia*: & ubi dicitur (*c*): *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*: & ubi Christus de se dixit Apostolis (*d*): *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*; si enim his locis de carne Christi fit mentio, hæc de vera carne sunt intelligenda, cum verba Scripturæ sint litteraliter intelligenda nisi aliquid obstet, & nihil obstet in casu. II. ibi Christus dicitur homo, ut cum Christus ait (*e*): *Filius hominis tradendus est in manus hominum*: & alibi (*f*): *Nunc quæritis me interficere hominem &c.*; non autem posset Christus dici verus homo, nisi verum haberet corpus. His adde loca, ubi Christus dicitur natus, passus, mortuus, redivivus &c. quæ nonnisi supposito vero corpore de ipso possunt verificari.

Prob. ex Patribus. S Ignatius docet Christum vere fuisse natum, passum, & mortuum &c. Ergo sentit verum habuisse corpus. En ejus verba: (*g*) *Obturate aures vestras, cum vobis*

(a) *Jo.* 1. (b) *Heb.* 5.
(c) 1. *Jo.* 4. (d) *Luc. ult.*
(e) *Matt.* 17. (f) *Jo.* 8.
(g) *Ep. ad Trallia.*

bis quiſpiam loquitur ſine Jeſu Chriſto, qui ex genere Davidis, qui ex Maria, qui vere natus eſt, edit & bibit, vere perſecutionem paſſus eſt ſub Pontio Pilato, vere crucifixus & mortuus eſt. Tertullianus ait: (*a*) *Nihil ſolidum ab inani, nihil plenum a vacuo perfici licuit: putativus habitus, putativus actus: imaginarius operator, imaginariæ operæ. Sic nec paſſiones Chriſti ejus fidem merebantur; nihil enim paſſus eſt, qui vere non eſt paſſus, vere autem pati phantaſma non potuit:* & infra in adducta verba Chriſti: *Palpate & videte &c.* ait: (*b*) *Cur autem inſpectui eorum manus & pedes ſuos offert, quæ membra ex oſſibus conſtant, ſi oſſa non habebat? Cur adjecit: & ſcitote quia ego ſum, quem ſcilicet corporeum retro noverant? Aut ſi phantaſma erat uſquequaque, cur illos phantaſma credentes increpabat?* Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. I. Chriſtus ſolum dicitur habere ſimilitudinem carnis, ut cum ait Apoſtolus: (*c*) Miſit *Deus filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati:* & alibi: (*d*) *In ſimilitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo*.

II. Ibi expreſſe aſſeritur Chriſtum veram non habuiſſe carnem; dicitur enim: (*e*) *Primus homo* (Adam) *de terra terrenus, ſecundus homo* (Chriſtus) *de cœlo cœleſtis*: rurſus: (*f*) *Si cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*. Ergo &c.

Ad I. R. prioris loci ſenſum eſſe, quod Chriſtus habuerit carnem ſimilem carni aliorum hominum, adeoque ſimilem carni peccatrici; (*g*) *Eum*

(a) *Lib.* 3. *contr. Marcion. cap.* 8.
(b) *Lib.* 4. *cap.* 43.
(c) *Rom.* 8.
(d) *Philip.* 2.
(e) 1. *Cor.* 15.
(f) 2. *Cor.* 5.
(g) *Ibid.*

Eum enim, inquit Apostolus, *qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit* (idest voluit considerari ut peccatorem) *ut nos efficeremus justitia Dei in ipso*. Sed hoc non impedit veritatem carnis Christi. Nec illam impedit, quod subditur; nam hoc alii interpretantur de similitudine Christi cum aliis hominibus in infirmitatibus humanæ vitæ, puta famis, sitis, fatigationis, mortis &c., alii de conceptione Christi, quæ licet singularis, apparenter tamen fuit aliorum conceptioni similis. Alii & quidem probabilius de extrinseca apparentia humanitatis Christi, quæ vere fuit similis extrinsecæ apparentiæ humanitatis aliorum, ut unum individuum alicujus speciei vere est alteri simile. Hæc omnia stant cum veritate carnis Christi. Ergo &c.

Ad II. ℟. Christum dici *cœlestem*, non quod verum non habeat corpus, sed quod omnes affectus ipsius essent ad cœlestia directi, cum è contra affectus Adami subinde fuerint ad terrena inclinati. Alteri loco duplex affertur expositio. Prima docet ibidem ab Apostolo redargui illos, qui gloriabantur se esse carnaliter consanguineos Christi, & addi quod, etsi olim ipsi Apostoli, cum erant imperfecti, magni facerent hanc consanguinitatem, postea tamen facti perfecti illam parvifaciebant, & jure; nam Christus ipse ait: (a) *Mater mea & fratres mei hi sunt, qui Verbum Dei audiunt, & faciunt*. Secunda est aliorum docentium Apostolum ibi contendere Christum non esse modo æstimandum secundum carnem, ut æstimabatur cum erat in mundo; tunc enim se subjecerat infirmitatibus corporis, nunc autem, cum sit gloriosus, non est amplius iis subjectus, sed ipsius caro est veluti

(a) *Luc.* 8.

luti spiritualizata. Quæcunque ex istis explicationibus admittatur, stat veritas carnis Christi. Ergo &c. Et sane ut notat S. Augustinus, (*a*) si illud *nunc non novimus Christum secundum carnem*, importaret Christum non habere veram carnem, etiam quæ leguntur antecedenter: *nos ex hoc neminem novimus secundum carnem* importarent, quod nullus hominum haberet veram carnem, quod nemo dixerit. Præterea si verba adducta importarent Christum nunc non habere veram carnem, verba præcedentia: *si cognovimus Christum secundum carnem* denotarent Christum aliquando habuisse veram carnem, quod tamen Phantasiastæ non admittunt. Adde toties Apostolum in epistolis posterioribus asseruisse veram Christi carnem, ut nunquam suspicari possimus objecto loco eum voluisse veram Christi carnem inficiari. Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Corpus Christi affectiones non habebat, quæ vero corpori convenire debent; nam non habebat extensionem, & impenetrabilitatem, cum exierit tum ab utero matris non fracto virginitatis claustro, tum e sepulchro clauso, & ingressum sit ad Apostolos clausis januis. Adde quod Christi corpus & gradiebatur super aquas, & apparebat solum, cum ipse volebat, & alia id genus præstabat, quæ a vero corpore præstari nequeunt. Ergo &c.

II. Saltem argumenta supra in probationem veræ carnis Christi deducta ex actionibus corporis Christi non subsistunt; nam pluries Angeli in corporibus tantum apparentibus similia præstiterunt. Ergo &c.

Ad I. ℞. vel affectiones assignatas non esse corpori essentiales, & sic divinitus tolli poterant a corpore Christi, vel, si sunt, non fuisse ab illo sublatas etiam in dictis circumstantiis, sed fe-

(a) *Lib.* II. *contr. Faust. cap.* 7.

fecisse Deum miraculose, ut effectus in corpore Christi præstarentur, qui (licet falso) ablationem illarum qualitatum indicarent. Modum autem, quo hæc facta sint, inepte a nobis quæreret adversarius, cum ii non simus, qui rationem, qua Deus miracula patrat, aut velimus aut possimus assignare, utpote nimis excedentem captum nostrum.

Ad II. ℟. diversam esse rationem Angelorum, qui in corpore apparuerunt, ac Christi; hi enim ita corporei apparebant, ut agnosceretur tantum apparentia esse corpora, quæ ostendebat, sive quia transeunter tantum apparebant, sive quia ipsi subinde protestabantur se vera corpora non sumpsisse, ut testatus est Raphael dicens: (*a*) *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor:* & aliunde scimus Angelos non esse corporeos. At Christus non transeunter tantum, sed stabiliter & ad longum tempus se corporeum ostendit, & multoties testatus est se verum corpus assumpsisse, & nullibi asseritur ipsum non fuisse corporeum. Ergo &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Corpus Christi genitum & natum est de Maria, quæ proinde fuit vera mater Christi*. Est de fide.

Prob ex Scripturis; dicitur enim: (*b*) *De qua* (Maria) *natus est Jesus, qui vocatur Christus*. Alibi dictum est Mariæ ab Angelo: (*c*) *quod nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei:* & Apostolus de Christo ait: (*d*) *Qui natus est ei ex semine David secundum carnem:* non autem potest

(a) *Tob.* 12. (b) *Matt.* 1.
(c) *Luc.* 1. (d) *Rom.* 1.

est esse ex semine David Christus, nisi quatenus ex Maria natus sit: & alibi: (a) *Misit Deum Filium suum factum ex muliere factum sub lege.* Ergo &c.

Prob. ex sensu Ecclesiæ. In symbolo Apostolico dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu S., natus ex Maria virgine*. In Constantinopolitano: *Et incarnatus est de Spiritu S ex Maria Virgine, & homo factus est*. Ergo &c.

Prob. ex Patribus. S. Justinus inquit: (b) *Verbum formatum est & homo factum ex Virgine*. S. Ignatius: (c) *Jesus Christus ex Maria genitus est*. Tertullianus: (d) *Ante omnia commendanda erit ratio, quæ præfuit, ut Dei Filius de Virgine nasceretur*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis I. Christus nunquam Mariam appellavit matrem suam. Ergo &c.

II. Ipse Christus negavit Mariam suam esse matrem; nam, cum in nuptiis Canæ Galilææ rogaretur a Maria, ut aquam in vinum converteret, ipsi respondit: (e) *Quid tibi & mihi est mulier?* ubi, ut patet, ipsam ut extraneam est allocutus: & alibi cuidam dicenti Christum a matre & fratribus inquiri ipse respondit: (f) *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Imo cum quædam mulier exclamaret: (g) *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*, quibus Mariæ benedicebat, Christus hanc exclamationem redarguit inquiens: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. Ergo &c.

Ad I. ℟. quod etsi Christus nunquam legatur in Evangelio dixisse Mariam matrem suam, non inde infertur talem non esse, præsertim cum saltem implicite sæpissime eam dixerit matrem, cum scilicet se dicebat filium hominis.

Ad

(a) *Gal.* 4. (b) *In Apolog.*
(c) *Ad Ephes.* (d) *de Carne Christi cap.* 17.
(e) *Jo.* 2. (f) *Matt.* 12.
(g) *Luc.* 11.

Ad II. ℟. nunquam Christum negasse Mariam esse matrem suam. Sane primo loco vel Christus ita locutus est, ut comprimeret vanam gloriam, non quæ erat, sed quæ poterat existimari adesse in Maria a filio petente miraculum: vel non constituit oppositionem se inter & Mariam, sed tantum indicavit nec ad se nec ad illam pertinere, quod vinum defecisset: vel ostendit nihil se habere cum matre commune in ordine ad potestatem patrandi miracula, quæ a Divinitate proficiscebantur. Circa quod S. Augustinus ait: (*a*) *Dominus Jesus Christus & Deus erat & homo: secundum quod Deus erat, matrem non habebat, secundum quod homo erat, habebat. Mater ergo erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis, quam suscepit propter nos. Miraculum autem, quod facturus erat, secundum Divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem*. Addo in contextu Mariam appellari matrem Jesu; nam dicitur: *Erat mater Jesu ibi: dicit mater Jesu ad eum: dicit mater ejus ministris &c.* Ergo &c. Loco sequenti non negat Christus Mariam vere esse suam matrem, sed tantum docet non esse in gratiam consanguineorum intermittenda opera Dei, qualia erant illa, in quibus tunc exercebatur: vel etiam docere voluit magis esse æstimandam virtutem, quam proximitatem carnalem cum ipso, & idcirco extendens manus in discipulos suos dicebat: (*b*) *Ecce mater mea & fratres mei; quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est*. Eodem modo explicatur quod subditur. Et hinc S. Augustinus ita locum exponit: (*c*) *Mater mea, quam appellatis felicem, inde felix,* *quia*

(a) *Tract.* 8. *in Jo. n.* 9.
(b) *ibid.* (c) *Tract.* 10. *in Jo.*

quia verbum Dei custodit, non quia in illa Verbum caro factum est, sed quia custodit ipsum verbum Dei, per quod facta est, quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exultent si spiritu juguntur Deo, Ergo &c.

Obj. ex sensu Ecclesiæ. Romæ damnata est propositio cujusdam Joannis Thomæ a S. Cyrillo, qui in libro scripto *De laudibus D. Annæ magnæ matris Deiparæ, dignæ Verbi incarnati aviæ*, asseruit S. Annam esse aviam Christi. Si ergo S. Anna non est avia Christi, Maria non est Christi mater; si enim hæc talis esset, illa profecto esset avia.

R. Non esse proscriptum librum hujus auctoris, ex quo docuerit S. Annam esse aviam Christi; nam hoc etiam docuerat Andreas Cretensis (*a*), & multi alii ab eodem adducti, & nos etiam Abrahamum, Jacobum, Davidem, & alios hujusmodi dicimus recte Christi progenitores, unde non est, cur non possit dici S. Anna avia Christi, sed esse proscriptum, quia illius auctor immoderatæ, ut sic dicam, devotioni indulgens phrasibus circa S. Annam usus sit correctione indigentibus, ut constat ex Indice librorum expurgandorum. Et sane hic auctor ex quo S. Anna sit avia Christi, ostendere conatur ipsius Annæ cognationem esse divinam, eam appellat socrum Spiritus S., contendit esse Dominam Angelorum, dicit esse aviam Christi plenius, quam alia mulier sit avia nepotum suorum, dicit ipsam cooperatam esse unioni hypostaticæ, quæ omnia, ut patet, possunt in errorem simplices inducere. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. S. Hilarius docet (*b*) *corpori Christi Mariam originem non dedisse, licet ad*

(a) *Tom.* II. *Bibliot. Patr.*
(b) *Lib.* 10. *de Trin. n.* 16.

ad incrementum partumque corporis, omne, quod sexus sui naturale est, contulerit. Ergo &c.

℟. Solum velle S. Hilarium non fuisse Christum genitum a Maria more aliorum hominum, non autem negari ab ipso, imo expresse asseri Mariam influxisse in formationem corporis Christi quod solent influere aliæ matres, ex quo sequitur ipsam esse veram matrem. Expressius etiam mentem suam aperuit S. Doctor dum ait: (*a*) *Virgo nonnisi ex suo Spiritu S. genuit quod genuit, & quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent, non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam*. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Si Maria esset mater Christi, cum mater & filius conveniant in natura, & Christus Deus sit, ipsa deberet esse Dea. Hoc non. Ergo &c.

℟. Mariam esse matrem Christi solum quoad humanitatem, in qua vere convenit cum filio. Cum ergo non sit illius mater quoad divinitatem, non sequitur ipsam esse Deam, ut, licet prima Persona sit Pater Christi, qui homo est, non sequitur ipsam esse hominem, quia Christi Pater est solum quoad divinitatem.

ARTICULUS TERTIUS.

Quamvis, ut supra monui, ad rem præsentem non spectet vindicare virginitatem Mariæ nisi in conceptu & partu Christi, loquar tamen ob cohærentiam materiæ etiam de ipsius Virginitate post partum. Sit ergo

Assertio. *Maria nec in conceptione Christi, adeoque ante ipsius partum, nec in partu, nec post partum virginitatem amisit*. Est de fide.

 Prob.

(a) *n. anteceden.*

Prob. generaliter I. ex Scripturis; de Maria enim intelligitur illud: (*a*) *Porta hæc clausa erit, non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam*. II. Ex sensu Ecclesiæ, quæ semper docuit hanc perpetuam virginitatem Deiparæ: & hinc in Chalcedonensi dicitur: (*b*) *Deum virginitatem ipsi* (Mariæ) *etiam post conceptum largitum esse, atque, ut Deo dignum erat, uterum obsignasse*.

Prob. specialiter ex Scripturis virginitas Mariæ in conceptione Christi. Cum ad eam missus est Angelus, ipsa erat Virgo, ut patet ex illo: (*c*) *Missus est Angelus ad Virginem:* & ex illo ejusdem Mariæ: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Rursus ipsa concepit Christum non ope viri, sed ex Spiritu S., ut patet, ex illo Angeli ad Mariam: (*d*) *Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi:* & ex illo: (*e*) *Cum esset desponsata mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu S.:* & ex verbis Angeli ad Joseph: (*f*) *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est*. Ergo concipiendo virginitatem non amisit. Addi potest quod, cum ex supra visis prænunciatum esset matrem Messiæ futuram virginem non obstante ejusdem conceptione, cumque ex supra dictis Maria fuerit talis mater, debuit profecto etiam in conceptione Christi virgo permanere, quæ ratio juxta supra dicta militat etiam pro virginitate Mariæ in partu: unde recte Matthæus post verba supra recitata subdit: (*g*) *Hoc totum factum est, ut adim-*

(a) *Ezech.* 44.
(b) *Allocut. ad Marcian.*
(c) *Luc.* 1. (d) *Ibid.* (e) *Matt.* 1.
(f) *Ibid.* (g) *Ibid.*

adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Ergo &c.

Alias speciales probationes pro virginitate Mariæ tum in partu, tum post partum prætermitto, cum pro his sufficiat supra adducta constantissima traditio Ecclesiæ.

Obj. ex Scripturis contra virginitatem Mariæ ante partum Christi. Apostolus dicit Christum (*a*) *factum esse ex muliere*: mulier autem significat fœminam corruptam. Ergo &c.

℟. nomen *mulieris* non corruptelam, sed sexum significare. Et de facto Heva ab Adamo fuit appellata (*b*) mulier, cum adhuc esset virgo. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis & Patribus contra virginitatem Mariæ in partu Christi. In Evangelio habetur: (*c*) *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ secundum legem Moysi, tulerunt illum* (Jesum) *in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur*. Si autem Jesus natus est aperta Mariæ vulva, ipsa in tali partu virginitatem amisit. Hanc etiam aperitionem vulvæ adstruunt plures Patres. Ergo &c.

℟. Christum debuisse offerri Domino, etsi non aperta vulva matris natus fuerit; nam ratio, cur primogeniti deberent Domino offerri, erat, quod erant primogeniti, quod utique de Christo verificabatur. Lex porro loquitur de primogenitis aperientibus vulvam, quia ordinarie illam primogeniti aperiunt, & lex attendit quod ordinarie evenire solet. Cæterum hanc legem non supponere necessario aperitionem vulvæ constat

(a) *Gal.* 4. (b) *Gen.* 3.
(c) *Luc.* 2.

ex quo debuisset primogenitus Deo offerri, etsi ex dissecto matris latere eductus fuisset. Ergo &c. Cum porro Patres docent Christum aperuisse vulvam Deiparæ, solum significant Christum revera natum ex illa esse. Potuit autem Christus nasci ex Maria non aperiendo illius vulvam, ut potuit exire de sepulcro clauso, & in cœnaculum januis clausis introire.

Quo loco adverto aliquos antiquos ut nativitatem Christi cum integritate virginitatis Mariæ conciliarent varias excogitasse sententias; aliis enim omissis aliqui apud Damascenum (*a*) dixerunt Christum non via communi, sed per latus Mariæ in lucem eductum fuisse, quos merito redarguit S. Pater inquiens: *Conceptio quidem per auditum facta est, ortus vero per eam partem, per quam exire fœtus consuescit, quamlibet antiqui fabulentur illum* (Christum) *per Genitricis Dei latus editum fuisse; neque enim hoc impossibile erat, ut per portam transiret sigillis ejus nulla parte labefactatis*. Secundo Ratramnus 9. sæculo docuit Christum aperuisse quidem nascendo Mariæ vulvam, sed non ideo ejus virginitatem violasse, quia (*b*) *eam aperuit, non ut clausam corrumperet, sed ut eam suæ nativitati ostium aperiret, non quo violaret integritatem, sed quo ventris palatium vacuaret*: sunt ejus verba. Sed hæc sententia sibi contradicit; vult enim conciliari aperitionem vulvæ Mariæ cum ejus virginitate, quod impossibile videtur, cum virginitas hæc importet integritatem, quæ tollitur per aperitionem vulvæ. Alii docuerunt corpus Christi, cum proxime egressurum esset ab utero Mariæ, ad punctum fuisse redactum, ut

est

(a) *Lib.* 4 *de fid. cap.* 14.

(b) *De Nat. Christ. apud Dacherium. Tom.* 1. *Spicileg.*

est modo in Eucharistia, & ita transiisse per poros uteri, adeoque sine ipsius uteri aperitione. Hoc quidem ſieri fortasse potuisset, sed est consultius asserere corpus quidem Christi ab utero Mariæ egressum absque vulvæ aperitione, de modo autem nihil quærere, cum agatur de re omnino miraculosa, adeoque superante captum nostrum.

Obj. ex Scripturis contra virginitatem Mariæ post partum Christi. De Maria & Josepho dicitur: (a) *Antequam convenirent inventa est* (Maria) *in utero habens de Spiritu S.* Non autem diceretur *antequam convenirent*, nisi postea convenissent. Præterea dicitur de Josepho: (b) *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum.* Post partum ergo eam carnaliter cognovit. Rursus Christus dicitur (c) *primogenitus Mariæ.* Ergo hæc post ipsum alios genuit, secus non *primogenitus* diceretur Christus, sed *unigenitus*. Tandem fit mentio de fratribus Christi; dicitur enim: (d) *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Joseph, & Simon, & Judas? & sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* Ergo alios filios peperit Maria. Ergo &c.

℟. dupliciter Theologos occurrere priori loco; aliqui enim, ut Baronius, Tossatus, Cajetanus, Calmet, Lamy & alii cum Hilario, Basilio, & Epiphanio existimant Mariam non nupsisse Josepho nisi post legationem Gabrielis. Nam, ut ipsis videtur, id indicatur per illud: (e) *Missus est Angelus . . . ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph*, ubi dicitur *non nupta, sed desponsata*: nec non per alia: (f) *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, & nollet*

 eam

(a) *Matt.* 1. (b) *Ibid.*
(c) *Ibid.* (d) *Matt.* 13.
(e) *Luc.* 1. (f) *Matt.* 1.

eam traducere, *voluit occulte dimittere eam*: quorum hic videtur esse sensus: *Joseph videns Mariam sibi desponsatam esse gravidam*, *noluit eam sibi uniendo in matrimonium traducere in domum propriam*, cui sensui consonat quod ei dixit Angelus: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*, idest, *noli timere accipere eam tibi in uxorem*. Tandem id indicatur per verba Mariæ: (*a*) *Virum non cognosco;* his enim expressit per omnes contra Calvinum & Centuriatores votum virginitatis, quo tenebatur. Non ergo contraxerat antecedenter matrimonium, quod opponitur tali voto, quamvis postea, nè læsio resultaret ex partu futuro propriæ famæ, matrimonium contraxerit, sciens nullum exinde secuturum præjudicium propriæ virginitati. Volunt autem matrimonium celebratum solum, postquam Maria tribus jam mensibus gravida rediit a visitatione Elisabeth, quia, inquiunt, si antea celebrassent, jam Mariam in itinere ad Elisabeth comitatus fuisset Joseph, quod tamen non esse factum probat tum silentium Evangelistæ hoc iter illiusque circumstantias cæteroquin narrantis, tum quod, si comitatus fuisset, audivisset Elisabeth prædicantem Mariam matrem Dei, adeoque non fuisset locus dubitationi, quæ circa ipsam in illo orta est, cum inciperet jam venter illius intumescere, adeoque post reditum ab hoc itinere.

Hæc sententia sane est probabilis. Probabilior tamen esset, si posset probari Mariam nupsisse Josepho statim post legationem Gabrielis; tunc enim subjecta non esset iis difficultatibus, quibus de facto subjacet, prout defenditur a suis auctoribus volentibus Mariam Josepho nupsisse solum cum rediit a visitatione Elisabeth; si enim hoc dicatur, quomodo salvabitur consultum fuisse

(a) *Luc.* I.

se honori Mariæ, quæ innupta evasisset gravida? Scio mulieres gravidas per aliquod tempus celare posse intumescentiam uteri, ac proinde id potuisse etiam Mariam: sed saltem in partu multum suspicionis in animos omnium incidisset, cum vidissent partum mulieris jam a solis sex mensibus nuptæ. Hæc talia sunt, ut huic sententiæ, saltem prout asserit Mariam Josepho nupsisse solum post tres menses a legatione Gabrielis, renunciandum putem. Quinimo tutius videtur cum communiori assesere Mariam ante legationem Gabrielis Josepho nupsisse: præcipue cum facile adductis supra rationibus pro sententia opposita respondeatur. Quod enim Maria dicatur *desponsata* Joseph, non indicat tantum eam fuisse in matrimonium promissam Josepho, cum vocabulum *desponsata* tam dicatur de promissa in matrimonium, quam de nupta, quod ipsi quoque adversarii fateri debent; nam dicitur Joseph perrexisse Bethleem (*a*) *cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*, & tamen hæc illi per omnes tunc erat nupta. Verbis porro sequentibus potius roboratur, quam infirmetur posterior sententia; nam Joseph dicitur *vir Mariæ*. Quod si dicitur Josephum noluisse *eam traducere*, id solum significat ipsum noluisse Mariam ut adulteram publice proclamare, sed potius ut honori ejus parceret, voluisse eam dimittere: at si dimittebat, certe jam acceperat. Quod dixit Angelus *noli timere accipere Mariam conjugem tuam* denotat debuisse a Josepho remitti Mariam in pristinum gradum amoris & confidentiæ, in quo antea erat. Fortasse etiam Maria non statim post matrimonium translata est ad domum Joseph, quo admisso posset etiam explicari illud *noluit eam traducere*, & illud *noli timere accipere Mariam* &c. pro traductione & acceptione in domum propriam.

K 4 Quod

(a) *Luc.* 2.

Quod ad votum spectat virginitatis, si adducta ratio valeret, probaret Mariam nec sponsalia cum Josepho contraxisse tempore legationis Gabrielis; nam etiam sponsalia voto opponuntur. Maria ergo vel emiserat solum votum virginitatis conditionatum, si nempe & quatenus Deo placuisset ut virginitatem servaret, vel etiam emiserat absolutum, sed ex peculiari Dei mandato matrimonium postea contraxit obligando se ad non petendum debitum, & sciens ex divina revelatione tale debitum a Josepho (forsan & ipso virginitatis voto adstricto) non petendum. Nec ex eo, quod sequitur, eruitur Mariam solum post reditum ab Elisabeth nupsisse Josepho; primo enim etsi in dicto itinere Joseph non fuisset comes Mariæ, quid inde? Nonne ipsa potuit de illius consensu ab aliquo vel ab aliqua associari? Deinde etsi comes fuerit, quænam necessitas vel ut hoc ab Evangelista commemoraretur, vel ut ita Joseph fuerit cum Maria, ut audierit exclamationem Elisabeth? nonne potuit tunc ipse convenisse Zachariam, aut ex alia causa, quæcumque ea fuerit, non esse præsens colloquio primo habito inter Mariam & Elisabeth? Adde quod vel Maria ad Elisabeth perrexit sola, vel cum Joseph, vel cum alio aut alia. Si sola (quod tamen est inverisimile), ergo antecedenter nupserat; non enim credendum Virginem nondum matrimonio junctam iter per montana Judææ solam instituisse. Si cum Josepho, ergo hic erat ejus maritus, cum non sit credendum ipsam tale iter suscepisse cum eo, qui maritus ipsius non erat. Si cum alio vel alia, debuerunt & hi juxta rationem adversariorum audire exclamationem Elisabeth, quo posito nil facilius, quam ut Josepho renunciarent. Quod si hi, licet comites Mariæ, ex aliqua causa non audierunt, cur non potuit etiam non audire Joseph, licet Mariæ comes? Ergo &c.

Licet ergo Theologi prioris sententiæ primo textui in superiore objectione adducto *antequam con-*

convenirent &c. respondeant illud *antequam convenirent* idem esse ac *simul inciperent habitare per mutuam conjunctionem in matrimonio*, non vero *antequam haberent copulam maritalem*; ipse cum communiori R℣. illud *antequam convenirent* denotare *ante maritalem copulam*, quo tamen non obstante dico hanc nunquam fuisse habitam; modus enim ille loquendi etiam adhibetur respectu eorum, quæ nunquam fiunt. Ita si dixero: *Titius mortuus est antequam pœnitentiam ageret*, non sequitur quod postea egerit pœnitentiam, aut si dixero: *judex protulit sententiam antequam cognosceret causam*, non sequitur quod causam cognoverit post latam sententiam. Cum ergo dicitur, quod Maria inventa est gravida antequam copulam haberet cum conjuge, non indicatur, quod hæc copula postea habita sit. Ad id, quod additur, R℣. particulam *donec* non semper denotare cessationem, sed etiam aliquando denotare continuationem, cujus rei exempla supra sunt allata. Non ergo ex eo loco eruitur Mariam fuisse a Josepho carnaliter cognitam post partum. Quod si Christus dicitur *primogenitus* Mariæ, non tamen inde eruitur alios postea fuisse ab ipsa genitos filios; ideo enim talis dicitur, quia nullus ante ipsum genitus est filius. Sane aliquando unigenitos venire in Scripturis primogenitorum nomine, constat ex quo, cum Deus in veteri lege juberet omne primogenitum offerri, ex hac lege erant offerendi omnes partus, quos nullus alius partus præcesserat, licet postea eosdem nullus alius partus fuisset subsecutus. Ergo &c.

Ad id, quod additur, R℣. primo non defuisse Patres docentes commemoratos in objectione ut fratres Christi, fuisse filios Josephi ab eo genitos ex priore conjuge, quam habuerat ante Mariam, quo posito non læderetur, ut patet, Mariæ virginitas: sed hæc sententia dimissa utpote jam antiquata & communiter modo rejecta R℣. ibidem recensitos dici fratres Jesu, quia erant proximi ipsius consanguinei (quamvis incertum sit quo

consanguinitatis gradu); non enim est novum in Scripturis, quod consanguinei dicantur fratres, ut Abraham (*a*) dicitur frater Lot ipsius nepotis, & Jacob (*b*) dicitur frater Labani, cujus erat gener. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. S. Basilius (*c*) asserit non esse curiosius investigandum quid post partum Christi inter Mariam & Josephum sit peractum, nec officere doctrinæ pietatis, si quis suspicetur Mariam post partum Christi maritalem concubitum cum Josepho habuisse: Ergo &c.

℟. ex contextu apparere S. Basilium solum contendere impertinenter se habere ad statuendum, quod Christus natus sit ex Virgine, asserere quod mater ipsius virgo permanserit etiam post partum, cum prius salvari posset etiam non salvato altero. Cæterum & ipsum stare pro perpetua virginitate Deiparæ patet ex verbis proxime sequentibus; nam ait: *Nihilominus quoniam Christum amantium aures non sustinent hoc audire, quod Dei genitrix aliquando virgo esse desierit &c.*

ARTICULUS QUARTUS.

Videndum modo utrum omnes partes corporis Christi fuerint a Verbo immediate assumptæ, ita ut hypostatice ipsi sint unitæ.

Circa hoc distinguendæ sunt partes corpus humanum componentes, ut ossa, caro, nervi, sanguis &c a partibus excrementitiis, ut sunt lacrymæ, sudor &c. Posteriores licet assumptas cum corpore a Verbo certum est non fuisse assumptas immediate, idest immediate unitas hypostasi suæ.

Priores autem probabilius fuerunt immediate assumptæ a Verbo. Dixi *probabilius*; licet enim

(a) *Gen.* 13. (b) *ibid.* 29. (c) *Homil.* 25.

nim omnes concedant fuisse a Verbo immediate assumptas partes solidas notabiliores, puta ossa, carnem, nervos &c., aliqui tamen id negant de partibus ipsis solidis ad ornatum tantum spectantibus, ut sunt capilli, ungues &c., nec non de partibus fluidis, & præcipue de sanguine, quem aliqui absolute negant fuisse a Verbo immediate assumptum. Alii ipsum dividentes in perfectum, & nondum perfectum ad concretum, dicunt priorem fuisse immediate assumptum a Verbo, non posteriorem: alii volunt totum sanguinem fuisse a Verbo immediate assumptum, quamvis contendant ipsum fuisse dimissum, postquam separatus fuit a corpore.

Quod igitur omnia illa, quæ habent rationem veræ partis in humano corpore, fuerint assumpta immediate a Verbo, atque adeo quod fuerint assumpti & sanguis (vel hic sit perfectus vel imperfectus) & alii humores non habentes rationem vel elementi vel excrementi, probatur; nam hæc omnia vere sunt partes humani corporis, illudque componunt. Ergo Verbum humanum corpus assumendo, atque immediate hypostasi suæ uniendo, hæc etiam omnia eodem modo assumere, ac sibi unire debebat.

Noto autem non omnes has partes fuisse assumptas a Verbo eo primo instanti, quo assumpsit corpus, sed solum illas, quæ tunc in ipso corpore aderant; aliquæ enim partes in humano corpore non sunt, nisi post nativitatem, ut dentes, capilli &c., quæ certe & in corpore Christi solum post nativitatem fuerunt, & quæ proinde tunc solum a Verbo sunt assumptæ.

Ad probandum tamen non fuisse sanguinem a Verbo immediate assumptum

Obj. I. Sanguis non est pars humani corporis; nam potius habet rationem nutrimenti, cum in alias corporis partes convertatur. Ergo non debuit assumi a Verbo, alias ob eandem rationem debuisset etiam chilus assumi. Adde quod, si sanguis esset pars humani corporis, in consecratione

panis esset etiam ex vi verborum sanguis, ut sunt aliæ partes, puta ossa, nervi &c. Hoc non. Ergo &c.

II. Est axioma tritissimum: *Quod Verbum assumpsit, nunquam dimisit*. Quod ergo Christus aliquando dimisit, nunquam assumpsit. Dimisit autem sanguinem in passione sua; nam ex hoc sanguine multum in terra asservatur, puta Mantuæ, Taurini in Sacra Syndone, Romæ in Vultu Sancto. Ergo &c.

III. Si Verbum assumpsisset sanguinem, posset dici sanguis, ut cum assumpserit humanitatem, potest dici homo. Hoc non. Ergo &c.

Ad I. ℟. cum Angelico sanguinem non esse partem humani corporis completam, quæ scilicet in alias partes non sit transmutabilis, ut sunt ossa, nervi &c., sed incompletam, quod sufficit, ut fuerit a Verbo assumptus. Chilus autem nec est pars humani corporis incompleta, nec completa. Ergo non debuit assumi. Porro ex quo sanguis sit pars corporis Christi, non sequitur, quod debeat esse vi verborum sub specie panis; nam sub hac non debent esse ex vi verborum nisi partes corporis solidæ, cum non debeant esse nisi partes, quæ se habent per modum cibi, qualis non est sanguis, qui, cum sit fluidus, potius se habet per modum potus.

Ad II. ℟. Axioma accipiendum moraliter, non rigorose, non ita scilicet, ut nihil assumptorum a Verbo fuerit ab illo ne quoad minimam quidem partem dimissum; nam certum est apud omnes Verbum assumpsisse partes solidas humani corporis, & tamen aliqua illarum portio fuit ab illo dimissa, ea scilicet, quæ ab ipsius corpore per insensibilem transpirationem avolavit. Totum ergo sanguinem assumpsit Verbum, nec illum etsi in passione effusum dimisit, sed totum sibi retinuit hypostatice unitum, ut retinuit hypostatice unita corpus & animam in triduo mortis etsi ab invicem separata: retinuit inquam sibi unitum sanguinem totum non totalitate rigo-

rosa,

rosa, sed tantum morali, quatenus fere totum denuo corpori univit, aliquam tamen illius portionem ad solatium suorum fidelium in terris relinquendo. Et sane si in triduo mortis Christi Apostoli consecrassent, sub specie vini venisset sanguis, qui fuisset sanguis Filii Dei. Non ergo tunc fuerat a Verbo dimissus.

Ubi etiam obiter noto, quod, cum referente Spondano (*a*) S. Jacobus de Marca in quadam concione asseruisset sanguinem a corpore separatum fuisse a Christo in triduo mortis dimissum, orta est lis inter Fratres Prædicatores & Minores circa hoc, contendentibus prioribus propositionem S. Jacobi rationi & fidei esse dissonam, aliis illam defendentibus. Pius autem II. vetuit, nè sententia D. Jacobi ut hæretica notaretur, quo tamen non obstante hæc communiter rejicitur; ut enim ait Suarez, nec pia est, nec secura, ut etiam ex supra dictis colligitur. Noto etiam quod, licet sanguis in passione effusus remanserit modo explicato Verbo unitus, non tamen sic remansit unitus sanguis effusus in circumcisione, cum hic utpote in modica quantitate non esset necessarius ad integritatem corporis Christi. Fuit ergo dimissus hic sanguis, quod idem ex Innocentio III. (*b*) dici debet de præputio Christi, quod in terris remansit.

Ad III ℟. Verbum, ex quo assumpserit sanguinem, non posse dici sanguinem, cum illum non assumpserit ut naturam completam, sed ut partem tantum naturæ humanæ, quomodo ex eadem ratione non potest dici Deus nervus &c., licet hæc assumpserit. Addo quod nec puri homines, ut E. G. Petrus, Paulus &c., dicuntur simpliciter sanguis. Ergo nec Christus Deus homo.

AR-

(a) *ad ann.* 1462.
(b) *Lib. 4. de Myster. Miss.*

ARTICULUS QUINTUS.

At Verbum assumendo corpus humanum assumpsitne ipsius corporis defectus? & si assumpserit, quosnam assumpsit?

Circa hoc distinguendi sunt defectus humani corporis, qui ex ejusdem naturali conditione oriuntur, ut sunt fames, frigus, mortalitas &c., ab iis, qui eidem adveniunt ex particularibus causis, ut qui E. G. ex inordinato cibo proveniunt, vel etiam ex male ordinata corporis constitutione, ut sunt E. G. cæcitas, surditas, lepra &c. Priores Verbum assumpsit, ac proinde de illo dicitur (*a*): *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Eos autem assumpsit tum ut pro nobis in natura passibili satisfaceret, tum ut adstrueret fidem incarnationis, tum ut nobis patientiæ & humilitatis præberet exemplum. Ubi etiam noto dici non posse, quod Verbum hos defectus contraxerit, sed solum quod illos libere assumpserit; nam vox *contraho* denotat ordinem effectus ad causam, adeoque in casu denotaret in Christo derivatos esse ex peccato Adami, unde derivant alii homines, quod est absurdum.

Alii autem defectus non fuerunt a Verbo assumpti, cum ipsius corpus fuerit perfectissime a Spiritu S. efformatum, & ipse nihil inordinatum admiserit in regimine vitæ suæ: unde si ipse non fuisset violenter occisus, ad ultimam senectutem devenisset, atque ex ea præcise mortuus fuisset, & postea ejus corpus in cineres resolutum, nisi id impediisset divinitas.

Ex his patet juste fuisse in Concilio Francofordiensi damnatum Elipandum tum ob alia, de quibus infra, tum etiam ex quo assereret Christum

---

(a) *Isa*. 53.

stum fuisse leprosum, nixus illi perperam intellecto: *Et nos putavimus eum quasi leprosum*.

Si autem Christus generales corporis defectus assumpsit, patet ipsum doloribus corporeis vere fuisse subjectum (seu potius se subjecisse, cum potuerit etiam assumpto corpore ab illis divinitus se eximere) adeoque veros dolores in vita sua, & maxime tempore passionis tolerasse. Sed contra hanc Christi passibilitatem.

Obj. ex Scripturis. Christus dicitur *secundus Adam*. Ut ergo prior in statu innocentiæ nullo corporis dolore fuit subjectus, ita nec debuit esse secundus.

℟. Stare etiam per nos aliquo modo paritatem inter corpus Adami innocentis, & corpus Christi; ut enim prius ex se & ex conditione propria erat passibile ita & alterum. Quod si de facto prius a doloribus fuit exemptum, hoc ex speciali privilegio provenit, quo frui Christus noluit, cum ad redimendum hominem satius existimaverit assumere corpus simile corpori hominis lapsi, quam hominis innocentis. Videantur etiam quæ infra dicentur, ubi de passionibus animæ Christi.

Obj. ex S. Hilario. Hic totus est in ostendendo corpus Christi fuisse impassibile. En illius verba: (*a*) *In quo* (corpore Christi) *quamvis aut ictus inciderent, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aerem vulnerans, omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret, sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dum in natura non est vel*

(a) *Lib.* 10. *de Trin. n.* 23.

vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aerem vulnerari: tum apertius: *Passus quidem est Dominus Jesus Christus, dum cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur, sed in corpus Domini irruens passio, nec tamen naturam passionis exseruit, dum & pœnali ministerio desæviit, & virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit.* Hoc autem rursum comprobat ex mirabili corporis Christi conceptione inquiens: *Quid per naturam humani corporis conceptam ex spiritu carnem indicamus? Caro illa, idest panis ille, de cœlis est, & homo ille de Deo est, habens ad patiendum quidem corpus, & passus est, sed naturam non habens ad dolendum; naturæ enim propriæ ac suæ corpus illud est, quod in cœlestem gloriam conformatur in monte, quod attactu suo fugabat febres, quod de sputo suo format oculos.* Ergo &c.

℟. Non defuisse qui putarent S. Hilarium in hoc errasse, adeoque illius auctoritatem non esse in hoc attendendam. His adhæret Petavius, qui tamen subdit S. Hilarium hæc retractasse, dum postea scripsit commentaria in Psalmos. Communius tamen respondetur S. Hilarium per verba adducta excludere sensum doloris tum a divina natura, tum ab humana hoc solum sensu, quatenus attenta unione hypostatica, exemptione Christi ab originali, & formatione miraculosa corporis ipsius ope Spiritus S., erat, ut ita dicam, eidem corpori debita exemptio a doloribus, quos si suscepit, libere omnino suscepit (& hoc apposite ad scopum S. Doctoris, qui erat probare veram Christi divinitatem). Juxta hæc igitur cum dicit incidisse in corpus Christi vulnerum ictus &c., sed non intulisse dolorem, ut non infert telum aquæ, aeri, vel igni, id dicit quatenus nec divinitas Christi ullo modo ab ictibus & vulneribus lædebatur, nec poterat lædi corpus, nisi ipse permisisset. Quo eodem sensu, ut probet dolores Christum tulisse non ex necessitate propriæ naturæ, sed ex libera sua e-

le-

lectione, dicit ipsum corpus suum reddidisse, cum ipsi placebat, gloriosum, & mediante eodem corpore dolores & infirmitates ab aliis abjecisse. L' Herminier duplicem distinguit dolorem, alterum consistentem in molesta corporis sensatione, alterum in perturbatione, & anxietate animi ab hac sensatione refugientis, & invite illam ferentis. Hunc autem tantum secundum dolorem vult fuisse in Christo ab Hilario negatum, quod maxime probat ex iis, quæ infra (*a*) idem Hilarius subdit, dum Christum comparans cum Martyribus ait illos lætos tormenta subiisse, & fidem ac charitatem effecisse, ut non sentirent dolores; sicuti enim hic non negat Hilarius in martyribus dolorem primo modo acceptum, sed tantum secundo, ita in casu. Hæc quoque responsio & ipsa est satis probabilis.

Et sane alibi S. Doctor veros dolores Christo tribuit; inquit enim: (*b*) *Omnia, quæ hominum sunt, & oravit, & passus est . . . Hinc illud est, quod esurivit, sitivit, dormivit, lassatus est, impiorum cœtus fugit, mæstus fuit, flevit, & passus & mortuus est*: & alibi: (*c*) *Dolet quidem ipse extra necessitatem & timoris positus & doloris, sed his se tamen, quæ suscepit, accomodans*. Ne autem dicat Petavius S. Hilarium locis quidem mox adductis adstruere veros dolores in Christo, sed per hæc retractasse, quæ scripserat in libris de Trinitate, juvat etiam afferre loca ex iisdem de Trinitate libris. Ibi ergo inquit S. Doctor: (*d*) *A cunis & infantia usque ad consummatum venerat virum: per somnum, famem, sitim, lassitudinem, lacrymas ho-*

(a) *n.* 46. (b) *in Psalm.* 53. *n.* 7.
(c) *in Psalm.* 68. *n.* 1.
(d) *Lib.* 3. *n.* 10.

hominem egerat (Christus): & infra: (*a*) *Passus unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates, sed passus virtute naturæ suæ, at & virtute naturæ suæ natus est; neque enim cum natus sit, non tenuit omnipotentiæ suæ in nativitate naturam. Ita ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est, ut passiones corporis nostri corporis sui virtute susciperet.* Ergo &c.

Ex dictis hucusque patet solutio quæstionis olim agitatæ, utrum scilicet corpus Christi fuerit corruptibile; quamvis enim spectata unione hypostatica, & exemptione ab originali potuisset corpus Christi non esse corruptibile, ex propria tamen natura tale erat, & voluit ipse Christus, ut esset de facto, quatenus voluit illud subjicere doloribus, infirmitatibus, & morti, & ut ex se tenderet ad resolutionem in cineres, quamvis noluerit, ut de facto ita resolveretur juxta illud: (*b*) *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Unde etsi Christus non necessario, sed libere mortuus sit; hæc tamen libertas non ex carnis conditione, sed ex infinita Verbi virtute repeti debet. Juxta hæc debent explicari aliqui Patres dicentes corpus Christi fuisse incorruptibile, ut inter alios S. Dionysius Alexandrinus, qui Paulum Samosatenum (*c*) reprehendit, quod sanguinem Christi dixerit corruptibilem; nisi velimus eos explicare de incorruptibilitate actu conveniente corpori Christi post resurrectionem, quod maxime dicendum de S. Dionysio scribente contra Paulum Samosatenum, qui volebat in Eucharistia corruptibiles nedum esse species sanguinis, sed ipsum etiam sanguinem.

AR-

(a) *Lib.* 10. *n.* 47. (b) *Psalm.* 15.
(c) *Ep. cont. ips.*

ARTICULUS SEXTUS.

Utrum facies Christi fuerit elegans & speciosa, an vilis & deformis incertum est. Patres ipsi in hoc non conveniunt. Quæstiuncula hæc ita videtur probabilius solvi posse. In Christi facie nec fuit venustas & elegantia muliebris, cum hæc tantum perfectionis magistrum dedeceret, nec etiam fuit deformitas, cum hæc fecisset, ut homines ab illo abhorrerent, sed fuit venustas quædam & gravitas virilis, quia magis corda, quam oculos ad se traheret, ita tamen ut etiam externe Christus amabilis appareret.

CAPUT TERTIUM.

De anima a Divino Verbo assumpta.

PRobabo 1. veram animam fuisse a Verbo assumptam: 2. examinabo utrum Verbum assumpserit etiam passiones animæ naturales: 3. agam de scientia Christi: 4. de illius sanctitate & gratia: de illius impeccabilitate: 6. de descensu animæ Christi ad inferos.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Verbum assumpsit veram animam humanam*. Est de fide contra Arianos, & Apollinaristas.

Prob momentis deductis ex Scripturis & Patribus. I. ex Scripturis constat Christum fuisse liberum ad ponendam & reassumendam animam; nam ipse dicit: (a) *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, & potestatem ha-*

(a) *Jo.* 10.

habeo ponendi eam . . . & iterum sumendi eam. Ex quibus sic. Christus testatur se animam libere deponere, & reassumere. Ergo veram habuit animam; si enim locum animæ suppleret divinitas, cum hanc non posset Christus deponere, & reassumere, non posset dici liber ad ponendam, & reassumendam animam. II. Ex Scripturis constat Christo convenisse potentias animæ humanæ; de voluntate enim ipse ait: (*a*) *Non mea voluntas, sed tua fiat*: & alibi: (*b*) *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Quibus positis sic. Christus habuit voluntatem humanam; nam de hac adductis locis loquitur, ut de aliquo distincto a voluntate divina. Ergo habuit animam humanam, cum hæc sit illius fundamentum & radix. III. Ex Scripturis constat Christo convenisse passiones animæ humanæ proprias, ut sunt timor, tristitia, desiderium &c., de timore enim dicitur: (*c*) *Cœpit pavere & tedere*: de tristitia: (*d*) *Tristis est anima mea usque ad mortem* de desiderio: (*e*) *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum* (& citra has passiones videantur etiam quæ infra adducentur). Ex quibus sic. Christus habuit passiones proprias animæ humanæ; nam supradicti effectus nec in Christum qua Deum cadere possunt, nec in corpus Christi. Ergo & habuit animam humanam, quæ earundem passionum esset subjectum. IV. Ex Scripturis constat Christum ad inferos descendisse, dicitur enim: (*f*) *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Ex his sic. Christus ad inferos non descendit quoad corpus, cum illud re-

---

(a) *Luc.* 22. (b) *Jo.* 6.
(c) *Mar.* 14. (d) *Matt.* 26.
(e) *Luc.* 22. (f) *Eph.* 4.

remanserit in sepulchro, nec quoad divinitatem, quia hæc, cum sit ubique, est incapax motus. Ergo remanet, ut descenderit quoad animam. Hæc igitur Christo inerat. V. Ex Scripturis constat Christum assumpsisse veram humanitatem; nam subinde dicitur homo. Ergo veram assumpsit animam, quæ est pars hominis essentialis. Audiatur circa hoc S. Augustinus, qui ait: (*a*) *Quaro quemadmodum accipias hominem Christum? Non utique sicut quidam Hæretici Verbum Dei & carnem, hoc est sine anima humana, ut Verbum eſset carni pro anima, vel Verbum Dei, & animam, & carnem, sed sine mente humana, ut Verbum Dei esset animæ pro mente humana... profecto cum dicis hominem perfectum, totam illic naturam humanam vis intelligi, non est autem homo perfectus, si vel anima carni, vel animæ ipsius mens humana defuerit*. Ergo &c.

Prob. ex Conciliis: & I. ex Alexaxdrino a S. Athanasio anno 362. celebrato, in quo definitum est (*b*) Salvatorem non habuisse *corpus inanimatum, aut sensus, vel mentis expers:* II. ex Romano sub Damaso anno 373. celebrato, in quo & Apollinarius, & Timotheus ejus discipulus damnati sunt: III. ex secunda synodo generali hæc habente: (*c*) *Nos doctrinam Dominicæ incarnationis integram & perfectam tenemus, neque dispensationem carnis Christi vel animæ vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus, sed agnoscimus Verbum Dei ante sæcula omnino perfectum, & perfectum hominem in novissimis diebus pro nostra salute factum esse*. Ergo &c.

Ex dictis patet nedum animam humanam, sed & humanam mentem in Christo esse admittendam; primo enim id expresse innuitur aliquibus testimoniis supra recensitis: secundo id con-

(a) *Ep.* 187. *ad Dardan. al.* 57. *cap.* 2.
(b) *Ep. Synodica.* (c) *Ep. Episcopor.*

constat etiam ratione; nam anima & mens humana sunt tandem unum & idem.

Obj. Apollinaristæ ex Scripturis. Joannes loquens de incarnatione meminit tantum assumptionis corporis; inquit enim: (*a*) *Verbum caro factum est*. Ergo &c.

℟. Primo quamvis ibidem non fieret sermo de assumptione animæ, in aliis tamen plerisque locis Scripturæ de ea, ut supra innui, fieri sermonem: secundo nomine carnis plerumque venire totum hominem, ut initio tractatus ostensum est.

ARTICULUS SECUNDUS.

Passiones animæ humanæ fuerunt a Verbo assumptæ. Hoc colligitur ex dictis; nam ex Scripturis ostensum est fuisse in Christo tristitiam, metum, desiderium &c.

Est tamen advertendum diversimode fuisse in Christo passiones, ac in nobis sint. Hæc autem diversitas deducitur primo ex parte principii, scilicet in Christo passionum motus non oriebantur nisi consentiente ratione, secus in nobis, in quibus subinde præveniunt rationem: secundo ex parte objecti, quia in Christo nihil unquam inordinatum respexerunt, secus in nobis: tertio ex parte effectus, quia in Christo nunquam impedierunt rationem, quam subinde in nobis impediunt. Et hinc Theologis placuit hos affectus in Christo potius *pro-passiones*, quam simpliciter *passiones* appellare.

Sed circa metum difficultatem ingerit S Hilarius, qui pluribus argumentis a Christo removet metum mortis. Primum est quod ipse ab Apostolis abegerit timorem: (*b*) *Interrogo*, inquit, . . . *an ratione subsistat ut mori timuerit,* *qui*

(a) *Cap.* 1. (b) *Lib.* 10. *de Trinit. n.* 10.

qui omnem ab Apostolis terrorem mortis propellens, ad gloriam eos sit martyrii adhortatus? Secundum est quod Christus habuerit potestatem moriendi & non moriendi: (a) *Timeri*, inquit, *mors non potest & in voluntate moriendi, & in potestate vivendi*: tertium est quod Christus metum incusserit iis, a quibus est comprehensus: (b) *Anne timuit*, inquit, *qui armatis ad corripiendum se obvius prodiit? & in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt?* Quartum est quod Christus non debuit esse in se deterioris conditionis, quam fuerit in Martyribus, in quibus timorem mortis compescuit: (c) *Quod si illi*, inquit, *fidei calore & beati martyrii gloria timere nesciunt quæ timentur, Christus . . . per crucem mansurus Deus & mundum judicaturus, & Rex æternorum sæculorum futurus, tristis metu crucis esset?* Ergo &c.

℟. S. Hilarium excludere metum a Christo quoad divinitatem, quoad humanitatem vero excludere solum metum involuntarium & necessarium, aut involventem nimiam anxietatem & perturbationem, idque ob rationes indicatas capite superiore, cum explicata est mens S. Doctoris circa passibilitatem corporis Christi. Et sane omnes rationes adductæ a S. Doctore probant quidem potuisse Christum non timere, & etiam non potuisse timere inordinate, sed non probant ipsum ordinate timere non potuisse, si voluisset. Præterea S. Doctor metum alibi adstruit in Christo; inquit enim: (d) *Et hæc quidem in eum omnia, quæ nostræ necessitatis sunt, irruerunt, sed ab eo naturæ suæ virtute suscepta sunt, dum mortem nostram potens non mori etiam timorem in se mortis ingruentem non renuit:* & infra: *Do-*

(a) *ibid. n.* 12. (b) *ibid. n.* 27.
(c) *n.* 45. (d) *in Psal.* 54. *n.* 6.

(a) *Dolet ipſe quidem extra neceſſitatem & timoris poſitus & doloris, ſed his ſe tamen, quæ ſuſcepit, accomodans.* Rurſus explicans quo ſenſu Chriſtus dixerit ſe ignorare diem judicii, inquit: (b) *Non ergo quia neſcire ſe diem & momentum Filius dicit, neſcire credendus eſt: ſicuti neque cum ſecundum hominem aut flet, aut dormit, aut triſtis eſt, Deus obnoxius eſſe aut lacrymis, aut timori, aut ſomno eſt confitendus; ſed ſalva Unigeniti in ſe veritate ſecundum carnis infirmitatem fletum, ſomnum, inediam, ſitim, laſſitudinem, metum paſſus eſt, a pari neceſſe eſt ſecundum hominem natura diei atque horæ profeſſus eſſe intelligatur inſcientiam.*

Contra triſtitiam Chriſti hæ poſſunt eſſe difficultates. I. Si Chriſtus triſtatus fuiſſet, ſimul voluiſſet objectum de quo triſtabatur, & noluiſſet: voluiſſet quia, cum eſſet liber circa illud, idem ſponte admiſiſſet: noluiſſet autem, quia de illo fuiſſet triſtatus. Hoc eſt impoſſibile. Ergo &c.

II. Chriſtus fruebatur ab initio conceptionis intuitiva Dei viſione, ut infra probabitur. Hæc autem viſio cum ſecum trahat ſummum gaudium, omnem excludit triſtitiam. Ergo &c.

Ad I. ℟. eam volitionem & nolitionem inter ſe non repugnare; nam verſabantur quidem circa idem objectum, ſed conſideratum juxta diverſos reſpectus. Volebat ſcilicet id, de quo triſtabatur, conſideratum juxta convenientiam, quam habebat cum recta ratione & voluntate Patris, nolebat ſecundum diſcovenientiam, quam habebat cum appetitu ſenſitivo. Ergo &c.

Ad II. ℟. Melchior Canus diſtinguendo viſionem Dei ab illius effectibus, ut eſt gaudium, & dicendo poſſe ſupernaturaliter ſtare viſionem abs-

---

(a) *in Pſal.* 68. *n.* I.
(b) *Lib.* 9. *de Trin. n.* 76.

absque his effectibus ut per totam vitam Christi stetit, absque eo quod gloria animæ in corpus efflueret, illudque redderet gloriosum. Nil ergo mirum, inquit ille, si etiam non obstante visione Dei, qua semper anima Christi fruita est, habuerit tamen aliquando tristitiam, quia visio Dei hanc non excludit, nisi mediante gaudio, quod de se causat, & quod miraculose a Christo fuit impeditum, ut posset tristari. Hæc responsio aliquibus etiam aliis probatur, licet alii illam respuant non solum ut falsam, sed etiam ut temerariam. Quidquid sit de hoc

Communius ℟. cum S. Thoma posse componi per miraculum summum gaudium cum tristitia, si respiciant diversa objecta, ut de facto in Christo respiciebant, in quo gaudium versabatur circa Deum clare visum, tristitia vero circa futuram passionem, peccata hominum &c. Unde sicuti per miraculum gaudium ortum ex visione beatifica non impediebat in Christo, nè corpus ejus esset passibile, ita nec impediebat, nè voluntas ipsius tristaretur.

ARTICULUS TERTIUS.

De scientia animæ Christi acturus noto 1. quod, sicuti pro duplicitate naturæ duplex est intellectus in Christo, divinus, & humanus, ita duplex in ipso est scientia, divina nimirum, & humana; non enim potuit humanus Christi intellectus per intellectionem divinam intelligere, cum potentia vitalis nequeat vitaliter agere nisi per actus a se productos. De divina Christi scientia alibi actum est. De humana modo agendum.

Noto 2. varios Hæreticos circa scientiam Christi errasse. In his fuerunt Gnostici & Valentiniani, qui docuerunt Christum sub præceptore operam litteris dedisse, Ariani, & Nestoriani, qui scientiam Christo a primo conceptionis instanti inditam denegarunt, & tandem qui-

dam Eutychiani dicti Agnoitæ, qui aliqua fuisse absolute a Christo ignorata dicebant ex iis, quæ scire poterat.

Contra hos certum est primo Christum etiam qua hominem perfectissimam habuisse scientiam omnium, quæ scire poterat. Scripturæ enim de Christo qua hominem dicunt: (*a*) *Requiescet super eum . . . spiritus sapientiæ & intellectus:* & alibi: (*b*) *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiæ & veritatis:* rursus: (*c*) *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

Nec obstat, quod Christus aliquando dicatur miratus, ut cum dicitur: (*d*) *Audiens autem Jesus miratus est,* admiratio enim ignorantiam supponit, aut quod dicatur ignorasse diem judicii, ut cum ait: (*e*) *De die autem illo vel hora nemo scit neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater:* nam admiratio Christi fuit tantum metaphorica, quatenus tunc ipse extrinseca signa dedit, quæ dantur ab admirante, & fuit pariter metaphorica ignorantia diei judicii, quatenus hanc diem non manifestando, auditores ignorantes fecit (ut interim alia omittam, quæ circa hoc dicta sunt in tractatu de Trinitate, ubi de Verbi divinitate.)

Hanc scientiam habuit Christus a primo instanti conceptionis suæ; & tunc enim erat filius Dei, adeoque hæres bonorum Patris, inter quæ est perfectissima scientia: & erat caput Angelorum, juxta illud: (*f*) *Cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei:* unde ex tunc debebat ea frui scientia, qua & ipsi Angeli fruebantur.

Sed

(a) *Isa.* 11. (b) *Jo.* 1.
(c) *Coloss.* 2. (d) *Matt.* 8.
(e) *Marc.* 13. (f) *Heb.* 1.

Sed inquies: Quomodo Christus a conceptione perfectissimam scientiam habuit, qui progressu vitæ in scientia crescebat, juxta illud: (*a*) *Jesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines?* & qui debebat discere reprobare malum & eligere bonum, ut prænunciatum erat ab Isaia juxta superius dicta?

℟. Jesum profecisse sapientia, quatenus crescebant effectus sapientiæ illius, scilicet magis ostendebantur, ut cum dicitur (*b*) crevisse verbum Dei, sensus est crevisse effectus verbi Dei. Dici etiam posset in Christo crevisse sapientiam, quatenus augebatur scientia experimentalis, de qua infra. Alio loco, ut supra innui, indicatur ætas, qua solent pueri acquirere usum rationis, non vero quod Christus ita aliquando didicerit reprobare malum & eligere bonum, ut hæc antecedenter ignoraverit.

At cujusnam speciei fuit Christi scientia?

Triplex est scientia ad rem nostram distinguenda, nimirum *beatifica*, *infusa*, & *acquisita*. Prima est cognitio intuitiva Dei, ac illorum, quæ visionem Dei consequuntur: secunda est cognitio resultans ex speciebus immediate a Deo animæ immissis, quæ quidem alia est infusa per se, quæ scilicet virtute naturali illius, cui infunditur, acquiri nequit, ut cognitio, quæ homini infunderetur secretorum cordis alterius hominis, alia per accidens, scilicet, quæ viribus naturalibus illius, cui infunditur, acquiri potest, sed tamen de facto non acquiritur, illam Deo ex privilegio infundente, ut fuit scientia rerum naturalium, quam Deus Adamo in creatione indidit: tertia est cognitio per laborem & industriam comparata, quæ, si comparetur experientia, dicitur *experimentalis*

L 2 Chri-

(a) *Luc.* 2. (b) *Coloss.* I.

Christus ergo a conceptione habuit scientiam beatificam, alias non habuisset scientiam perfectam. Et huc respexit Scriptura, dum de Christo homine inquit: (a) *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit:* & alibi: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo*; his enim denotatur Christum etiam qua hominem fuisse in cœlo: non sane semper quoad realem præsentiam. Ergo saltem quoad fruitionem Dei.

Nec opponas vel illa Scripturarum loca, quibus asseritur Christum meruisse gloriam, adeoque visionem & scientiam beatificam, per passionem, ut est illud: (b) *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam:* ex quo videtur sequi Christum non fuisse fruitum Deo, adeoque scientia beatifica, nisi post mortem vel illa Patrum testimonia, quibus asseritur transfigurationem Christi fuisse miraculosam, ex quo videtur negari Christum, cum transfiguratus est, vidisse Deum intuitive, nam cum ex tali visione connaturaliter resultet glorificatio corporis, jam Christi transfiguratio, qua corpus suum gloriosum reddidit, fuisse connaturalis illius statui, adeoque non miraculosa, imo potius fuisset juge miraculum, quod extra hanc circumstantiam corpus Christi non fuisset glorificatum.

℟. Enim gloriam, quam non acquisivit Christus nisi per mortem, esse tantum accidentalem, gloriam scilicet corporis, & exaltationem nominis, juxta illud: (c) *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem . . . propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*. Transfiguratio autem Christi dicitur miraculosa, attento statu, in quo tunc erat illius corpus, quod erat passibile & mortale, & in quod ipse permanenter im-

(a) *Jo.* 1. & 3. (b) *Luc.* 24. (c) *Philip.* 2.

impediebat ne profluerer gloria animæ, unde transfiguratio erat præter ordinem pro tunc a Deo statutum. Ergo &c.

Habuit etiam Christus scientiam infusam. Nam & hæc admittitur in Angelis licet beatis. Ergo a fortiori in Christo capite Angelorum. Præterea licet Christus scientia beatifica multa cognosceret, illa tamen non cognoscebat in se ipsis, sed in essentia divina. Debebat ergo in eo esse etiam alia scientia, qua res cognosceret in se ipsis, ut nedum res omnes cognosceret, sed etiam omni modo, quo erant cognoscibiles, & hæc scientia non poterat esse nisi infusa. Rursus Christus scientiam habere debebat correspondentem statui viatoris, & quæ esset norma actionum meritoriarum ipsius. Debuit ergo habere aliam scientiam præter beatificam, quæ correspondebat statui comprehensoris: hæc autem non decebat ut esset tantum acquisita. Ergo debebat esse infusa. Ubi noto in Christo fuisse tam scientiam infusam per se, quam infusam per accidens, primam quidem quia res debebat cognoscere viribus hominum naturalibus impervias, secundam vero, quia Christus non debebat esse deterioris conditionis, quam Adam, qui hanc scientiam accepit. Ambas autem has scientias fuisse in Christo a conceptione, tum ex mox dictis patet, tum etiam ex dictis supra generaliter de scientia Christi.

Tandem fuit in Christo etiam scientia acquisita & experimentalis; nam multa in decursu vitæ suæ, quæ quidem etiam ante sciebat, propria experientia cognovit. Præterea hoc colligitur ex Scripturis, de illo enim dicitur (*a*): *Didicit ex eis, quæ passus est, obedientiam.*

Per scientiam beatificam cognovit anima Christi primo essentiam divinam, personalitates, re-

(a) *Heb.* 5.

lationes & processiones divinas. Essentiam autem divinam non comprehendit, cum hæc comprehensio soli intellectui divino sit reservata, & circa hoc in Basileensi fuit damnata hæc propositio Augustini de Roma (a): *Anima Christi Deum videt tam clare & intense, quam clare & intense Deus videt seipsum*. Vidit etiam omnes creaturas, quæ ad se pertinebant, cumque ad ipsum pertinerent omnia, quæ vel fuerant, vel erant, vel futura erant, nam ipse etiam ut homo erat caput omnium creaturarum, ideo has omnes debuit cognoscere proportionaliter ad dicta alibi de visione Dei. Secundo per scientiam infusam vidit mysteria fidei ad Deum immediate spectantia, res supernaturales creatas, ut Sacramenta, gratiam &c. & res etiam omnes, quæ naturaliter cognosci possunt. Tertio per acquisitam & experimentalem cognovit omnia, quæ vel naturali industria ipsius intellectus, vel ope sensuum didicit.

ARTICULUS QUARTUS.

De sanctitate & gratia Christi modo agendum. Christum fuisse sanctum certum est de fide; Angelus enim Mariam alloquens inquit (b): *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*. Est pariter certum ipsum nedum qua Deum, sed etiam qua hominem sanctum fuisse. Videndum modo undenam sanctitas humanitatis repeti debeat.

Noto ergo aliquos dixisse humanitatem Christi non fuisse sanctam immediate ex vi unionis cum Verbo, sed solum mediate & exigitive, quatenus hæc unio exigebat, ut conferretur ipsi humanitati gratia habitualis, per quam postea immediate sanctificaretur. Sed communiter hæc sen-

ten-

(a) *Sess.* 22. (b) *Luc.* 1.

tertia rejicitur; nam per ipſam præciſe unionem hypoſtaticam humanitas Chriſti ſanctificabatur, cum a tali præciſe unione humanitas reddita ſit Deo grata & accepta, quod præcipue importatur per ſanctitatem. Sed

Dices. Si ex quo humanitas unita ſit Verbo, debuiſſet participare de ſanctitate Verbi, debuiſſet etiam participare de aliis Verbi perfectionibus, puta de æternitate, immenſitate &c. Hoc non. Ergo &c.

℟. Aſſignando diſparitatem; nam humanitas aliarum perfectionum non eſt capax, bene vero ſanctitatis.

Ubi etiam adverto ex communi humanitatem Chriſti ab unione cum Verbo ſanctificatam fuiſſe moraliter ſanctitate infinita. Si enim operationes bonæ ejuſdem humanitatis ex unione cum Verbo evaſerunt infinitæ ſanctitatis & dignitatis, a fortiori etiam ipſa humanitas.

At habuit ne Chriſtus etiam ſanctitatem ex gratia habituali immediate provenientem?

Aliqui ſane hanc gratiam Chriſto negarunt putantes illam in ipſo fuiſſe ſuperfluam, cum omnes illius effectus ab unione hypoſtatica poſſent proficiſci. Sed communiter talis gratia admittitur in Chriſto, adeo ut ab aliquibus id putetur eſſe de fide. Sit ergo

Assertio. *In Chriſto fuit gratia habitualis, adeoque etiam ſanctitas ex tali gratia immediate proveniens.*

Prob. ex Scripturis; nam de Chriſto qua homine dicitur (*a*): *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*, qui quidem ſpiritus ſuper juſtos præcipue per gratiam requieſcit: & alibi (*b*): *Vidimus gloriam ejus gloriam quaſi unigeniti a Patre plenum gratiæ & veritatis*: & ſubditur: *De pleni-*

(a) *Iſa.* 11. (b) *Jo.* 1.

tudine ejus nos omnes accepimus. Ex quo patet nos accepisse de illo, de quo Christus erat plenus. Cum ergo acceperimus gratiam ſanctificantem, illius conſequenter Christus erat plenus.

Prob. ex Patribus. Unum ſufficiat adducere Auguſtinum, qui inquit (a): *Dominus ipſe Jeſus, non ſolum Spiritum S. dedit ut Deus, ſed etiam accepit ut homo, propterea dictus & plenus gratia, & Spiritus S. gratia . . . . quoniam unxit eum Deus Spiritu S, non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod inviſibili ſignificatur unguento, quo baptizatos ungit Eccleſia.*

Prob. ratione. Nam licet gratia ſanctificans non eſſet Christo abſolute neceſſaria, cum illius effectus etiam ab unione hypoſtatica præstarentur, decebat tamen, ut ipſa quoque eſſet ornatus: primo ut haberet ſanctitatem & amicitiam Dei ſummam tum intenſive & in ſe, tum extenſive, & quoad omnes ſanctitatis & amicitiæ modos (inter quos unus eſt illam habere per gratiam ſanctificantem); ſecundo ut haberet nedum vitam ſupernaturalem, ſed etiam connaturale & ordinarium hujus vitæ principium, quale eſt ipſa gratia. Ergo &c.

Obj. ex Conciliis. In Francofordienſi damnati ſunt Felix, & Elipandus, qui docebant Christum qua hominem eſſe filium Dei adoptivum, quod tamen eſſet verum, ſi ipſe gratiam ſanctificantem habuiſſet, cum hujus gratiæ effectus ſit reddere hominem filium Dei adoptivum.

Antequam reſpondeam, noto 8. ſæculo emerſiſſe errorem Elipandi Archiepiſcopi Toletani, & Felicis Epiſcopi Urgelitani in Hiſpania docentium Christum dici debere filium Dei adoptivum & ſervum. Ab Heterio Uxumenſi Epiſcopo, & Beato Aſturicenſi Presbytero hic error fuit primo impugna-

---

(a) *Lib.* 15. *de Trin. cap.* 26.

pugnatus, deinde delatus ad Adrianum tunc R. Pontificem, & ad Carolum Magnum, qui causam hanc in Concilio Francofordiensi voluit definiri. In hoc damnatus fuit Felicis & Elipandi error. Prior errorem ejuravit: alter in eodem perstitit.

Quonam sensu hi adstruxerint Christum esse filium Dei adoptivum & servum controvertitur. Alii volunt ab his admissam fuisse in Christo filiationem naturalem respectu Dei, adeoque illum non fuisse negatum verum Deum, sed solum dictum filium adoptivum & servum ratione humanitatis. Id colligunt primo ex quo Felix & Elipandus expresse dixerint Christum filium Dei adoptivum ratione humanitatis, sive qua homo est: secundo ex quo admiserint communicationem Idiomatum in Christo, & dixerint Deum factum esse hominem: tertio ex quo Carolum Magnum rogaverint, ut tanquam Hæretici damnarentur ipsorum oppugnatores, hoc non rogaturi, si ipsi Christi filiationem naturalem negantes Nestorianismum recoxissent; quomodo enim sperare poterant a piissimo Principe, ut ipse curaret damnationem impugnantium Nestorianismum?

Alii e contra contendunt & quidem probabilius Felicem & Elipandum cum Nestorio duas in Christo personas agnovisse, adeoque illum, quem dicebant filium Dei adoptivum & servum, negasse filium Dei naturalem. Id colligunt primo ex testimonio auctorum coævorum, videlicet Paulini Aquilejensis, Alcuini, Agobardi, Paschasii Ratberti, & Jonæ Aurelianensis hoc docentium: secundo ex confessione fidei ipsorum Felicis & Elipandi, quæ habita est in Francofordiensi, in qua dicunt: *Confitemur & credimus eum factum ex muliere . . . non genere esse filium Dei, sed adoptione, non natura, sed gratia*: tertio ex eodem Francofordiensi testante Felicianos adstruere hæresim veternosam atque olim damnatam (quam alibi explicat esse Nestorianam) atque adstruere (*a*) *adoptivum Dei Filium de Virgine na-*

(a) *Ex libro Sacro Syllab.*

natum, aut in utero Virginis eum suspicantur adoptatum . . . aut certe purum eum hominem sine Deo natum . . . ac per hoc postea, quasi indiguerit adoptione, a Patre in filium adoptatum.

Hinc cum dicebant Christum filium Dei adoptivum & servum secundum humanitatem, id dicebant in sensu Nestoriano, volentes scilicet humanitatem propria subsistentia subsistentem esse Dei filiam adoptivam. Hoc sensu pariter admittebant communicationem idiomatum, & Deum factum hominem, quatenus scilicet moralem admittentes conjunctionem Dei cum humanitate concedebant mutuam prædicationem proprietatum lato modo de Deo & humanitate. Quod si doctrinam propriam catholicam, & adversariorum hæreticam dicebant, nil mirum; id enim est proprium Hæreticorum, qui ambiguis locutionibus & tergiversationibus semper contendunt propriam doctrinam esse sanam.

His positis, cum filiatio adoptiva, si qua esset in Christo orta ex gratia, non excluderet filiationem naturalem, patet, illam non futuram qualis in Francofordiensi damnata est. Et sane etiam Scotus contendens Christum qua hominem dici posse filium Dei adoptivum & servum (monens tamen Theologos ad abstinendum ab hac locutione ob Hæreticos, qui ea abutuntur) non tamen ideo negat in Christo fuisse gratiam sanctificantem.

Sed adhuc in responsione progrediendum. Licet ergo non fuerit damnata in Francofordiensi Christi etiam qua hominis filiatio adoptiva & servitus, quæ supponerent filiationem naturalem, adhuc tamen nec hujusmodi filiatio & servitus sunt admittendæ, nec consequuntur ex gratia Christi.

Et sane Christum nec qua hominem posse dici filium Dei adoptivum (de filiatione prius loquar, mox de servitute) suadetur, nam adoptio est personæ extraneæ assumptio in filium. Ubi

ergo

ergo non est persona extranea, non potest esse adoptio. Porro Christus, nec qua homo est persona Deo extranea, cum tota extraneitas, quæ est in Christo respectu Dei, sit in humanitate, hæc autem non sufficit, ut Christus qua homo possit dici persona Deo extranea, nam talis extraneitas est in natura, non in persona. Ergo &c. Et sane, cum dicitur *Christus qua homo*, illa reduplicatio non afficit humanitatem in abstracto, sed afficit in concreto suppositum habens humanitatem, ita ut denotetur Christus qua suppositum humanitatis. Atqui Christus qua talis non est persona Deo extranea. Ergo &c.

Nec dicas Christum (certe qua hominem) posse dici prædestinatum ad filiationem Dei juxta illud (*a*) *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute*, consequenter posse similiter dici adoptatum in filium: ipsum qua hominem posse dici passum, mortuum, & etiam servum modo infra explicando. Ergo etiam adoptivum filium Dei: a Patribus tandem ut Irenæo, Hilario, aliisque expresse dici adoptatum ad filiationem Divinam. Nec inquam hoc dicas;

Nam responderi potest in primis Patres Græcos non legere: *qui prædestinatus est*, sed: *qui declaratus est*, quo posito ex textu nihil contra nos: secundo Christum non dici simpliciter *prædestinatum filium Dei, sed prædestinatum filium Dei in virtute*, quatenus scilicet qui erat filius Dei, fuit ratione humanitatis prædestinatus ad gratiam, ad gloriam, & dignitatem capitis in Ecclesia: tertio etsi Christus diceretur prædestinatus ad filiationem Dei, hoc non posset intelligi nisi aut de Verbo, aut de humanitate antecedenter ad unionem, (ita scilicet ut Verbum ita consideratum diceretur prædestinatum, ut sibi

(a) *Rom.* I.

uniret humanitatem, & humanitas ut Verbo uniretur, adeo ut posset de illo homine Christo dici, quod esset filius Dei) nam non potest intelligi de Christo, ut Christus est, cum prædestinationis subjectum debeat prædestinationi ipsi præsupponi, Christus autem, ut Christus est, ita non præsupponatur, filiatio enim Dei involvitur in conceptu Christi, ut Christus est: quarto tandem etsi omitteretur Christum, ut Christus est, posse dici prædestinatum, ut esset filius Dei, non tamen ideo posset dici filius Dei adoptivus; nam diversa est ratio prædestinationis & adoptionis, illa enim tam potest directe cadere super personam, quam super naturam, hæc vero nonnisi supra personam. Rursus hæc non potest cadere nisi supra personam extraneam, illa etiam supra personam non extraneam, & ita Christus potest, ut superius innui, dici prædestinatus ad gratiam, & ad gloriam. Ergo &c.

Potest autem dici Christus qua homo passus, mortuus, & servus servitute infra explicanda, quia hæc non afficiunt directe personam, sed naturam, secus ex dictis adoptio. Patres non in rigore scholastico sunt locuti, sed improprie, & hoc solum sensu, quo natura humana fuerit elevata ad unionem cum Verbo.

Est ergo Christus etiam qua homo filius Dei naturalis, sed modo singulari, idest non quia ut homo fuerit genitus a Patre, seu quatenus humanitas sit ratio, cur sit filius Dei naturalis, sed quatenus ille, qui fuit genitus a Patre, & est filius Dei naturalis, univit se hypostatice humanitati: unde communius cum Petavio dicunt Theologi Christum qua hominem esse filium Dei naturalem per unionem, non per generationem, & illis placet, ut potius dicatur Christum esse filium Dei naturalem, quatenus est hic homo, quam simpliciter quatenus est homo, ut scilicet denotetur radicem filiationis naturalis Christi ut hominis non esse simpliciter humanitatem sed illius unionem cum eo, qui est filius Dei naturalis.

Ubi etiam noto eſſe ſententiam Suarez, Vasquez, Platellii & aliorum, Chriſtum ut hominem non poſſe dici filium Dei naturalem ratione ſuæ proprietatis perſonalis, ſed ſolum ex quo non ſit perſona Deo extranea, adeoque habeat jus ad hæreditatem, quod adoptioni repugnat. Unde inferunt primo Chriſtum qua hominem non eſſe filium naturalem Patris, potius quam alterius Perſonæ, ſed Dei ut ſic, adeoque tres filiationes in Chriſto naturales agnoſcunt, unam ad Patrem tantum, unam ad Matrem tantum, alteram ad Deum ut ſic: ſecundo quod eadem filiatio naturalis, quæ Chriſto ut homini competit, competeret etiam Patri, & Spiritui S., ſi incarnarentur. Sed cum pluribus aliis contradicit Petavius, & merito. Quod enim Chriſtus etiam ut homo non ſit perſona extranea reſpectu Dei, efficit quidem, quod non poſſit dici filius Dei adoptivus, ſed per ſe non ſufficeret, ut diceretur filius naturalis, niſi hæc perſona eſſet aliunde filius naturalis Patris; nam non poteſt intelligi filiatio naturalis niſi cum aliquo reſpectu ad veram generationem, quem non habet niſi filius ad Patrem, cum ipſe ſolus licet non formaliter genitus ut homo, habeat tamen humanitatem hypoſtatice unitam ſibi, qui genitus eſt. Eſt ergo ſolus Filius etiam qua homo filius naturalis Patris, adeoque non filius naturalis Dei ut ſic, ſed filius naturalis Patris dici debet.

At nec Chriſtus qua homo poteſt dici ſervus Dei ſervitute ſtricte tali importante hæc tria, ut ſcilicet primo teneatur obedire Domino. Secundo ut non ſit ſui juris, ſed alterius. Tertio ut cum Domino nec in honore, nec in bonis communicet, nec habeat jus ad hæreditatem, ſi enim Chriſtus ut homo eſt filius Dei naturalis, deficit tertia conditio. Conſonant Patres, inter quos Damaſcenus ait (*a*) *Serva eſſet caro, niſi unita eſſet*

(a) *Lib.* 3. *de fid. cap.* 21.

set Verbo: semel autem unita secundum hypostasim, quomodo serva erit?

At si servus sumatur minus stricte, prout solas duas priores conditiones includit, non est cur non posset Christus qua homo dici Dei servus, nam qua talis tenebatur Deo obedire, & non erat sui juris sed divini: & juxta hoc in Scripturis dicitur servus, ut (*a*): *Ecce servus meus, suscipiam eum:* & infra (*b*): *Justificabit ipse justus servus meus multos:* & Chrysostomus de Christo ait (*c*): *Forma servi est natura homo: Ergo forma etiam Dei natura est Deus.*

Posito autem, quod Christus qua homo nec sit filius Dei adoptivus, nec servus, quomodo, inquies, salvatur ipsum habuisse gratiam habitualem, cujus est reddere hominem filium Dei adoptivum?

℟. Illud quidem esse munus gratiæ, cum subjectum est capax filiationis Dei adoptivæ: in casu Christus non est capax, nam filiatio Dei naturalis adoptivum excludit. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Gratia habitualis in Christo nec potest admitti finita, nec infinita; prior enim dedecet personam Divinam, & præterea est insufficiens ad infinite dignificandas operationes Christi: posterior repugnat subjecto finito, quale est anima, & voluntas Christi. Ergo &c.

℟. Divisos esse Theologos circa finitatem vel infinitatem gratiæ Christi: communius asseritur ipsam fuisse finitam, idque præcipue ob rationem supra adductam. Nec ex hoc sequitur ullum ex adductis absurdis; nam non dedecebat personam Divinam gratia finita, quæ respiceret illius humanitatem finitam, cui talis gratia erat proportionata. Et sane si Verbum non dedecebat mortalitas, infirmitas, fames &c. quia hæc sunt pro-

por-

(a) *Isa.* 42. (b) *Isa.* 53.
(c) *Homil.* 6. *in cap.* 2. *Epist. ad Philipp.*

portionata humanitati assumptæ, nec dedecebit gratia finita eidem humanitati proportionata, præcipue cum, licet gratia Christi non fuerit infinita, fuerit tamen summa, quæ de lege ordinaria conferri possit, & hanc habuerit a primo conceptionis instanti; unde hæc gratia superavit quamcumque gratiam juxta providentiam ordinariam possibilem: quo fit, ut alia fuerit plenitudo gratiæ concessa Deiparæ, alia concessa Christo; prior enim fuit tantum respectiva, respectu scilicet capacitatis Deiparæ, quatenus ipsa tantam gratiam habuit, quanta erat illius capacitas, quæ sane non erat summa: in Christo autem fuit absoluta & major, quæ juxta providentiam ordinariam haberi possit. Dixi *juxta providentiam ordinariam*, potuisse enim juxta providentiam extraordinariam augeri docet Platellius adducens pro se Suarez, & Vasquez, idque quia nulla potest in hoc assignari implicantia.

Ex finitate autem hujus gratiæ non tollitur, quod operationes Christi essent infinite dignificatæ, nam ita dignificabantur ab infinita dignitate Verbi suppositantis humanitatem, quæ illas operationes eliciebat.

Præter gratiam habitualem fuerunt in Christo omnia, quæ gratiam ipsam ordinarie consequuntur, accomodate tamen ad conditionem ipsius, adeoque exclusis imperfectionibus, cum quibus in aliis justis solent conjungi.

Fuerunt ergo in Christo dona Spiritus S. Hoc colligitur ex illo: (a) *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini*. Cum autem a Christo, ut dixi, amovendæ sint imperfectiones, quæ in aliis justis ordinarie reperiuntur, hinc donum E. G. consilii non im-

(a) *Isai.* 11.

importabat in ipso inquisitionem & examen mediorum ad finem conducentium, quod in aliis justis importat: donum fortitudinis non importabat moderationem timoris involuntarii, quam in aliis justis importat: donum timoris non importabat nisi timorem reverentialem & filialem de Patre suo, non vero timorem culpæ aut pœnæ, quem timorem importat in aliis justis &c.

Fuerunt præterea in Christo habitus virtutum theologicarum & moralium per se infusarum; & hi enim habitus sunt veluti pedissequi gratiæ sanctificantis. Quod tamen est intelligendum solum quatenus hi habitus non importabant imperfectionem Christo dedecentem. Non fuit ergo in Christo habitus fidei, prout hic inclinat ad assentiendum obscuris, cum ipsi utpote videnti Deum intuitive nihil fuerit obscurum. Nec fuit habitus spei, prout respiciebat gloriam essentialem consistentem in visione Dei, nam hac semper fruitus est. Porro an fuerit spes quoad gloriam accidentalem, scilicet quoad gloriam nominis, ad glorificationem corporis &c. controversum est. Probabilius videtur fuisse; nam hæc, dum Christus erat viator, erant bona absentia & ardua, consequenda scilicet mediante morte, quod sufficiebat, ut possent sperari: sed videantur etiam quæ circa hoc dicta sunt in Tractatu de Virtutibus theologicis, ubi de spe. Nec fuit in Christo virtus pœnitentiæ, quoad dolendum & satisfaciendum pro peccatis propriis, quamvis fuerit quoad odio habenda peccata aliena, & ad satisfaciendum pro illis. Nec fuit continentia, quatenus refrænat contrarias affectiones partis sensitivæ, quæ in ipso non erant &c.

Præter gratiam habitualem & illius consectaria fuit etiam in Christo gratia actualis. Hoc ipsum est intelligendum ita, ut talis gratia fuerit in Christo convenienter ad ejus dignitatem, adeoque demptis imperfectionibus, cum quibus

solet

solet esse in aliis justis, ut sunt voluntatem sopitam ad bonum excitare, (in Christo enim voluntas ob unionem cum Verbo erat semper ad bonum parata) removere impedimenta ad bonum ipsum derivata ex rebellione passionum, quæ rebellio in Christo non erat &c.

Fuerunt tandem in Christo etiam gratiæ gratis datæ. Cum enim hæ tribuantur subjecto in utilitatem aliorum, debebant profecto concedi Christo, qui in utilitatem hominum venit. Et sane Christus exercuit sermonem sapientiæ & scientiæ, cum profundissima fidei arcana tum ex Scripturis deduxit, tum etiam humano captui, quantum fieri potuit, accomodavit, ut de illo diceretur: (*a*) *Mirabantur Judæi dicentes, quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Exercuit etiam fidem (ut fides est gratia gratis data); nam maximam habuit in Patrem fiduciam, quod per illum patraturus esset miracula, quod ipse indicavit, dum ait: (*b*) *Pater gratias tibi ago, quoniam me audisti. Ego autem sciebam quia semper me audis*. Exercuit gratiam sanitatum, nam sæpissime sanitatem infirmis restituit: exercuit operationem virtutum, nam & ventis & mari & Dæmoni imperavit: exercuit prophetiam, nam sæpissime remota a se & ab aliis prædixit, ita ut de ipso dicerent Judæi: (*c*) *Propheta magnus surrexit in nobis* (& quamvis Tostatus nolit fuisse in Christo prophetiam, quia hæc juxta ipsum respicit res Prophetæ repræsentatas ut obscuras, quomodo certe non fuerunt Christo repræsentatæ non ideo tamen est excludenda a Christo prophetia, cum non sit de essentia ejusdem obscuritas, sed solum quod respiciat res distantes ab ipso cognoscente) Exercuit discretionem spirituum, cum occulta cordium

(a) *Jo.* 7. (b) *Jo.* 11.
(c) *Luc.* 7.

dium introspexit. Genera linguarum habuit saltem in habitu, nisi velimus asserere etiam habuisse in actu, cum homines diversorum idiomatum allocutus est. Exercuit tandem interpretationem sermonum, cum abditissimos sacrarum Scripturarum sensus explanavit.

Advertendum autem has gratias, ut fuerunt in Christo, discriminari ab illis, ut sunt in aliis hominibus ex triplici capite: primo ex quo in Christo fuerint secundum plenitudinem, in aliis vero secundum determinatam quandam mensuram: secundo ex quo in Christo fuerint omnes, in aliis vero subinde non omnes sint, sed aliquæ tantum: tertio ex quo in Christo fuerint per modum habitus, & ita ut illis uti potuerit, ut libebat; in aliis vero potius sint per modum actus, & ita ut non semper possint iisdem uti. Sed jam de impeccabilitate Christi.

ARTICULUS QUINTUS.

Certum est in primis de fide in Christo nullum unquam fuisse peccatum, ipse enim inquit: (a) *Quis ex vobis arguet me de peccato?* & Apostolus dicit: (b) *Christum tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*: & infra: (c) *Talis decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus:* & alibi dicitur: (d) *Scitis quia ille* (Christus) *apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.* Cum ergo Christo tribuuntur hæc verba: (e) *Longe a salute mea verba delictorum meorum*, non de delictis ipsius propriis sermo est, sed de alienis, pro quibus satisfaciebat, & quæ proinde quasi sua agnoscebat, quia pro iis moriturus erat. Nedum autem ab ipso debet excludi peccatum actuale,

---

(a) *Jo.* 8. (b) *Heb.* 4.
(c) *Cap.* 7. (d) 1. *Jo.* 3. (e) *Psal.* 21.

le, sed etiam originale, idque tum ob supra adducta testimonia quodcumque peccatum a Christo excludentia, tum etiam quia voluntas ipsius utpote ab Adamo non descensuri per carnalem generationem non fuerat inclusa in ipsius Adami voluntate, cum hic peccavit. Hinc S. Bernardus ait: (*a*) *Ecce Agnus sine macula, agnus Dei, qui tollit peccata mundi, quis enim peccata melius tolleret, quam is, in quem peccatum non cadit? Ipse sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto deterget oculum meum, quæ sola sine pulvere est. Iste mihi festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imo iste trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo.*

Est etiam apud omnes certum in Christo non fuisse potentiam peccandi proximam. (Dixi *proximam*, remotam enim, quæ consistit in ipsa præcise voluntate, Christus certe habuit) id enim docent Patres, nam S Dionysius Alexandrinus inquit: (*b*) *Nisi esset Deus, non posset esse alienus a potestate peccandi, nemo enim est, qui peccare non possit, nisi unus Christus, sicut Pater Christi, & Spiritus S.*, S. Augustinus ait: (*c*) *Neque metuendum erat, nè isto ineffabili modo in unitatem personæ a Verbo Deo natura humana suscepta per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepta nullum in se meritum malæ voluntatis admitteret.*

Nec huic impeccabilitati officit quod Christus esset liber; nam stabat in Christo vera libertas cum impeccabilitate per hoc, quod bonum

(a) *Serm. 4. de Vigil. Nat.*
(b) *Ep. ad Paul. Samos.*
(c) *De correp. & gratia cap.* 11.

num non præceptum poterat agere & non agere, & bonum ipsum præceptum agere uno vel altero modo, licet non posset & bonum & malum agere. Ita autem salvari veram libertatem patet exemplo Dei profecto liberrimi; quin tamen possit malum agere.

Discordes tamen sunt Theologi in assignanda ratione hujus impeccabilitatis. Scotus eam deducit immediate ex visione beatifica, qua Christus fruebatur, ut enim Beati Deum intuitive videntes impeccabiles evadunt, ita & Christus. Cum autem hujus visionis radix sit unio hypostatica, ideo Christi impeccabilitatem deducit Scotus etiam ex unione hypostatica, sed tantum remote, ita ut si hæc secum non traxisset visionem beatificam, Christus potuisset peccare. S. Thomas è contra & cæteri extra Scholam scotisticam communius Christi impeccabilitatem deducunt ex ipsa immediate unione hypostatica, sicque volunt Christum futurum fuisse impeccabilem, etsi unio hypostatica secum non traxisset visionem beatificam. Cum his sit

Assertio. *Impeccabilitas Christi ex ipsa immediate unione hypostatica est repetenda.*

Prob. ex supra adductis Patribus Christi impeccabilitatem deducentibus ex quo ipse sit Deus, adeoque ex unione hypostatica. Cum enim ita loquuntur, certe assignant rationem proximam & immediatam hujus impeccabilitatis, nam cur assignassent potius radicalem & remotam? Adde quod nunquam invenimus a Conciliis aut Patribus assignatam fuisse visionem Christi beatificam ut rationem impeccabilitatis ipsius. Ergo &c.

Prob. ratione I. Unio hypostatica efficit humanitatem sanctam ea maxima sanctitate, quæ juxta providentiam ordinariam excogitari possit, ut constat ex supra visis. Nedum ergo debet excludere peccatum, quod excluditur a quacumque alia sanctitate, sed etiam potentiam peccandi. II. Posita unione hypostatica ita, imo magis Verbum debet regere humanitatem, ut anima cor-

corpus, quod informat. Ut ergo ex hoc debito anima tenetur quantum potest impedire sui corporis defectus, unde si aliquid inordinatum in corpore permittat, quod impedire possit, hoc culpæ vertitur ipsi animæ, ita humanitatem debebat regere Verbum, adeout, si hæc peccasset, tale peccatum debuisset Verbo imputari. Hoc autem repugnat. Ergo &c.

Obj. ex ratione. Per hoc præcise, quod Christus sit Deus, non redditur impeccabilis; nam etsi in hypothesi, quod peccaret, Verbo esset tribuendum peccatum, nullum esset absurdum, illi enim tribueretur non effective, sed tantum denominative, ut illi tribuitur fames, labor, mors &c. quæ sane æque repugnant Verbo ac peccatum. Rursum nullum fuisset absurdum, quod Verbum assumeret humanitatem, quæ antecedenter peccasset, adeoque humanitatem peccatricem, quo tamen casu peccatum fuisset tributum Verbo utpote supposítanti humanitatem illam. Ergo a pari nullum est absurdum, quod Verbo tribuatur peccatum patratum ab humanitate actu ipsi unita. Quorum omnium ratio est, quod Verbum assumendo humanitatem eam non debebat intrinsece mutare, adeoque intrinsece reddere firmiorem, quam ex se esset. Si ergo hæc peccasset, ex propria infirmitate peccasset, nec peccatum Verbo tribuendum fuisset, nisi ut permittenti, quod non est inconveniens.

℟. in primis diversimode Deo tribui mortem, famem &c. ac tribueretur in hypothesi peccatum; illa enim tribuuntur tantum denominative, peccatum autem ex dictis tribueretur effective, quia Verbum ipsum proprie peccaret, si permitteret in humanitate peccatum. Sed etiam dato, quod hæc omnia eodem modo tribuerentur Verbo, adhuc ℟. posse quidem ipsi Verbo tribui denominative mortem, famem &c, quia hæc sunt mala tantum physica, quæ potest Deus directe & ut causa particularis velle: peccatum autem est malum morale, quod Verbum non potest

test sic velle, sed solum in aliis permittere, unde repugnat, ut etiam tantum denominative ipsi tribuatur. Ergo &c. Etsi autem potuisset Verbum assumere humanitatem, quæ antea peccasset, non tamen posset permittere in humanitate assumpta peccatum, nam in primo casu nullo modo culpandum fuisset Verbum, scilicet nec pro tempore, quo humanitas peccavit, cum non fuisset tunc a Verbo suppositata, nec pro tempore, quo humanitatem jam assumpsisset, cum per ipsam assumptionem peccatum fuisset necessario delendum. At in casu nostro peccatum humanitatis vere esset imputandum Verbo, utpote ipsius humanitatis actu peccantis supposito. Ergo &c. Ex quibus patet Verbum assumendo humanitatem eam quidem intrinsece non mutasse quoad principia, quibus influit in suos actus, sed solum quoad modum tendendi, cum abstulerit ab ipsa potentiam eliciendi actus disconvenientes rectæ rationi eo proportionaliter modo, quo, si Deus creaturæ negaret concursum suum ad actus malos, ipsam quidem non mutaret intrinsece quoad principia, quibus ipsa influit in actus suos, sed tantum quoad modum tendendi, nam tolleret ab ipsa potentiam tendendi in objecta mala. Patet etiam peccatum humanitatis a Verbo non impeditum nedum permissive ipsi Verbo fore tribuendum, ut Deo tribui possunt omnia creaturarum peccata, sed etiam proprie & effective, cum ipsum teneretur hoc peccatum impedire.

Si ergo Christus erat impeccabilis, quia Verbum necessario regebat humanitatem, ne peccaret, patet jam diverso modo oppositam fuisse peccato in Christo unionem hypostaticam, ac in aliis justis ipsi peccato opponatur gratia habitualis; illa enim in Christo opponebatur peccato, tum quatenus ipsum ab humanitate expulisset, si in illa reperiisset, tum quatenus illam impediebat, ne peccaret: gratia vero in aliis justis opponitur quidem peccato, quatenus ipsum, si forte reperiat, expellit, non vero quatenus impediat, ne adveniat.

Ex

Ex dictis etiam colligitur nec in Christo fuisse fomitem peccati saltem in actu secundo, scilicet appetitum sensitivum actu tendentem in delectabilia turpia. Nam si hic fuisset in Christo, illius motus fuissent Verbo voluntarii, cum hoc potuisset & debuisset eos reprimere. Verbum ergo eos non reprimendo peccasset, quod est impossibile. Dixi *fomitem in actu secundo*; nam de fomite in actu primo idem dicatur, ac supra dixi de potentia peccandi remota.

ARTICULUS SEXTUS.

Ad complementum spectantium ad animam Christi, examinare præstat, utrum hæc post mortem ejusdem Christi vere descenderit ad inferos, cum descensum hunc plures ex Novatoribus in sensu metaphorico interpretentur. Contra hos ergo sit

ASSERTIO. *Anima Christi vere descendit ad inferos*. Est de fide.

Prob. ex Scripturis. Nam hoc in veteri Testamento prædictum erat: in persona enim Christi dicitur: (*a*) *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino*. Et in novo expresse traditur hæc veritas: nam S. Petrus ait: (*b*) *Quem* (Christum) *Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo*: & Apostolus: (*c*) *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ?* Addi potest locus epistolæ S. Petri: (*d*) I*n quo* (Spiritu) *his, qui in carcere erant, spiritibus veniens* (Christus) *prædicavit*: quod probabilius indicat Christi descen-

(a) *Eccle.* 24. (b) *Act.* 2.
(c) *Ephes.* 4. (d) 1. *Petr.* 3.

scensum ad inferos, licet aliter etiam possit explicari, de qua re infra.

Reponunt Adversarii nomen *inferni* ut plurimum in Scripturis non proprie pro loco subterraneo, sed metaphorice intelligi. Aliquando enim denotat *sepulchrum:* ita dicitur: (*a*) *Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni*, (idest *sepulchri*, ut vertit Calmet textum hebraicum) *invenerunt me*: aliquando denotat maximos cruciatus, quo sensu dicitur: (*b*) *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit:* aliquando maximam humiliationem, & hoc sensu dicitur: (*c*) *Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis, usque in infernum descendes?* Quidni ergo etiam metaphorice intelligatur nomen *inferni* locis in probatione adductis, adeoque etiam descensus Christi ad inferos? Sed

Contra. Nomen *inferni* aliquando sane in Scripturis sumitur metaphorice, sed aliquando etiam sumitur proprie, & ita sumitur, cum dicitur de Chore, Dathan, & Abiron: (*d*) *Descenderunt vivi in infernum*: &: (*e*) *Mortuus est dives & sepultus est in inferno*. Quonam autem modo locis in probationibus adductis sumatur hoc nomen, colligendum est præcipue ex sensu Ecclesiæ & Patrum, qui in casu apertissime stant pro sensu proprio, ut infra ostendam Adde, quod nullo ex recensitis modis potest locis in probationibus adductis intelligi nomen *inferni*. Ita enim debet intelligi locis ex Scriptura adductis, ut explicatur in Symbolo Apostolorum (de quo infra). Atqui in hoc symbolo nullo ex recensitis modis potest intelligi, cum non possit intelligi pro *sepul-*

(a) *Psalm.* 114. (b) 1. *Reg.* 2.
(c) *Matt.* 11. (d) *Num.* 16.
(e) *Luc.* 16.

pulchro, antecedenter enim habetur articulus distinctus de sepultura Christi, nec potest intelligi de *maximis cruciatibus*, cum hos passus fuerit Christus solum in passione & morte, de quibus pariter fit mentio in articulis antecedentibus, nec possit intelligi de Christi *humiliatione*, cum hæc vel consideretur in incarnatione (juxta illud (*a*): *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*) vel in passione, vel in morte, vel in sepultura, articulis pariter distinctis antecedenter exprimatur. Ergo &c.

Prob. assertio ex Symbolo Apostolico, in quo expresse habetur: *descendit ad inferos*: ut omittam quod hic articulus habetur etiam in aliis Symbolis, ut in Symbolis S. Athanassii, S. Cyrilli Hierosolymitani, S. Epiphanii &c.

Nec dicant Heterodoxi deesse hunc articulum in Symbolis Nicæno, Constantinopolitano, multisque aliis, & etiam defuisse tempore Ruffini in Symbolo Apostolico, ut ipse testatur (*b*); nam

℟. Argumentum hoc negativum in conflictu positivorum nullius esse roboris, præsertim cum alia etiam reperiantur in uno Symbolo, quæ desunt in alio: ut E. G. deest in Symbolo Apostolorum illud: *cujus regni non erit finis*, quod tamen habetur in Constantinopolitano, & in Symbolo vulgo S. Athanasii desunt articuli de Ecclesia, de remissione peccatorum, de communione Sanctorum, & hic posterior deest in Symbolo Constantinopolitano, qui tamen omnes habentur in Symbolo Apostolico. Ex Ruffino autem solum colligitur defuisse articulum de descensu Christi ad inferos in Symbolo, quo tunc utebatur Ecclesia Romana, qui tamen ex eodem

(a) *Philipp.* 2.
(b) *In Exposit. Symbol.*

habebatur in iis, quibus aliæ Ecclesiæ utebantur.

Prob. rursus assertio ex unanimi consensu Patrum, quorum omnium testimonia brevitatis studio non exscribo, videnda tamen apud l'Herminier (*a*). Unus sufficiat S. Augustinus, qui ait (*b*): *Dominum quidem carne mortificatum venisse in infernum satis constat; non enim contradici potest vel prophetiæ, quæ dixit: quoniam non derelinques animam meam in inferno, quod nè aliter quisquam sapere auderet, in actibus Apostolorum idem Petrus exponit; vel ejusdem Petri illis verbis, quibus eum asserit solvisse inferni dolores, in quibus impossibile erat eum teneri. Quis ego nisi infidelis negaverit fuisse apud inferos Christum?* & postea: (*c*) *Teneamus firmissime, quod fides habet fundatissima auctoritate firmata, quia Christus mortuus est secundum Scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum Scripturas, & cætera, quæ de illo testatissima veritate conscripta sunt. In quibus etiam hoc est, quod apud inferos fuit*. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Christus latroni pœnitenti ait: (*d*) *Hodie mecum eris in Paradiso*. Ergo anima Christi statim ab ipsius morte in paradisum translata est, consequenter non ad infernum descendit.

℟ Nomine *paradisi* hic venire beatitudinem, qua cum Christo statim a morte fruiturus erat latro. Hæc autem non dependet a loco, sed ab objecto beatificante, unde sicuti Christus, etiam cum viator erat in terra, erat beatus, ita erat, cum apud inferos degebat.

Si

(a) *Tract. de Incarn.*
(b) *Ep.* 164. *al.* 99. *cap.* 2.
(c) *Ibid. cap.* 5. (d) *Luc.* 23.

Si ergo Christus ad inferos vere descendit, in quamnam inferorum stationem dicendus est descendisse?

Pro intelligentia quæsiti noto plures numerari a Theologis in inferno stationes. Prima est locus, in quo ante Christum detinebantur animæ Sanctorum Patriarcharum, quique etiam dicitur sinus Abrahæ; secunda est Purgatorium: tertia est locus damnatorum: quarta a pluribus ex iis, qui defendunt parvulos cum solo originali morientes non plecti igne, statuitur locus horum parvulorum. Hoc posito communiter asseritur Christum descendisse ad sinum Abrahæ, ut sua præsentia Sanctos illic detentos recrearet, atque ab eo loco mox in cælum secum asportandos abduceret. De aliis locis res est dubia. Plures censent omnia hæc fuisse reali sua præsentia a Christo lustrata. S. Thomas id negat. Quidquid sit de hoc, quod sane difficile definiri potest, illud certum est Christum, etsi ad locum damnatorum perrexerit, eo tamen non perrexisse, ut damnatorum pœnas subiret, quomodo impie docuit Calvinus; nimis enim manifestum est Christum privationi visionis Dei, desperationi, remorsui conscientiæ aliisque similibus damnatorum pœnis obnoxium esse non potuisse: & præterea id aperte docet Scriptura loco supra adducto: *Quem* (Christum) *Deus suscitavit solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum*. Nec moveat quod dicatur Christus solutus doloribus inferni, quasi quod iis aliquando fuerit detentus; ita enim rem explicat S. Augustinus: (*a*) *Quod si movet quemadmodum accipiendum sit inferni ab illo solutos dolores (neque enim cœperat in eis esse tanquam in vinculis, & sic eos solvit tanquam si ca-*

(a) *Ep.* 164. *al.* 99. *cap.* 2.

catenas solvisset, quibus fuerat alligatus) facile est intelligere sic eos solutos esse, quemadmodum solvi possunt laquei venantium nè teneant, non quia tenuerunt. Potest & sic, ut eos dolores eum solvisse credamus, quibus teneri ipse non poterat, sed quibus alii tenebantur, quos ille noverat liberandos.

Est pariter certum quod, etsi Christus descendisset ad locum damnatorum, nullum tamen beneficium ipsis impertitus fuisset, cum cujuscumque beneficii ipsi sint incapaces.

At inquies. Saltem iis Christus prædicavit teste S. Petro, qui ait: (a) *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu. In quo & iis, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca*; his enim videtur S. Petrus innuere Christum in spiritu, idest cum ad inferos anima descendit, damnatis prædicasse, quales fuerunt qui in diluvio submersi sunt.

℟. Tamen quod, etsi Christus damnatis prædicasset, hæc tamen prædicatio non fuisset pro ipsis beneficium; fuisset enim solum manifestatio redemptionis per ipsum consummatæ, quæ manifestatio non in illorum utilitatem, sed potius in majus tormentum cessisset, utpote fructus hujus redemptionis incapacium. At revera non asserit S. Petrus loco adducto Christum damnatis prædicasse; primo enim (ut omittam alias explicationes) exponi potest de prædicatione facta a Christo non ut homine, sed ut Deo, idest per divinitatem suam indicatam per illud *in spiritu*, iis qui vivebant tempore Noe, & qui dicun-

(a) 1. *Petri* 3.

cuntur *spiritus in carcere*, quia illorum animæ erant adhuc inclusæ corporibus, quæ sunt veluti animæ carceres, cui expositioni favent aliquæ versiones pro *in carcere* legentes *in carne*, quamvis legendum omnino sit primo modo. Ubi etiam addo aliquos cohærenter ad superiorem explicationem, in textu subintelligere aliam propositionem, nimirum *Christum in carne prædicasse incredulis Judæis & Gentilibus*, sicut in spiritu divinitatis prædicaverat incredulis in diebus Noe. Hæc autem omnia dicunt optime congruere scopo Apostoli, qui est hortari fideles ad patientiam exemplo Christi, qui patientiam suam in impios & incredulos ostendit pro ipsis moriendo, eosque prædicatione sua ad pœnitentiam vocando. Secundo exponi potest locus adductus, & quidem planius, de prædicatione facta ab anima Christi, cum ad inferos descendit, iis, qui fuerant quidem increduli temporibus Noe, sed postea, instante submersione in aquis diluvii pœnitentiam egerunt, & in gratia obierunt. Et hæc quidem prædicatio in hoc probabilius sita fuit, ut ad ipsorum consolationem ostenderet se illum esse, qui per mortem suam illos redemerat, & ex cujus meritis fuerant salvati.

CAPUT QUARTUM.

De unione Verbi cum natura humana.

PRobabo 1. unionem Verbi cum humanitate fuisse substantialem & hypostaticam, adeoque unicam in Christo esse personam: 2. Mariam esse vere dicendam Deiparam.

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Verbum sibi substantialiter & hypostatice univit humanitatem, adeoque unica est in Christo persona.* Est de fide contra Nestorium.

Plura ad hanc assertionem spectantia allata sunt in tractatu de Trinitate, cum de divinitate Verbi ageretur. Aliqua tamen hic sunt addenda.

Prob. ergo assertio ex Scripturis, Conciliis, Patribus & ratione. Ex his constat Christum esse verum Deum. Ergo unio naturæ humanæ cum persona Verbi est substantialis & hypostatica, & unica est in Christo persona. Patet consequentia; si enim talis non esset hæc unio, jam aliud esset Verbum, aliud Christus. Ergo &c. Antecedens prob.

Scripturæ docent Deum factum esse hominem; nam dicitur (a): *Verbum caro factum est*, & infra Christus ipse dicit (b): *Exivi a Patre, & veni in mundum*: & Apostolus ait: (c) *Qui cum in forma Dei esset, semetipsum . . . exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus*, & alibi (d): *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erat, redimeret*.

Concilia idipsum docent. Nicænum hæc habet (e): *Credo . . . in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula . . . qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis & incarnatus est de Spiritu S. ex Maria Virgine, & homo factus est*. Idem repetit Constantinopolitanum I. (f). Ephesinum totum fuit in definienda hac veritate, & proinde damnavit Nestorium oppositi erroris parentem, & probavit anathematismos S. Cyrilli quorum primus est: *Si quis non confitetur Emmanuel vere Deum esse, & ob id sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Dei Verbum secundum car-*

(a) *Jo.* 1. (b) *Jo.* 16.
(c) *Philipp.* 2. (d) *Galat.* 4.
(e) In *Symbol.* (f) In *Symbol.*

carnem) *anathema sit*. Secundus hæc habet: *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim unitum & unum una cum sua carne esse Christum, eundem nimirum simul Deum & hominem, anathema sit*. Tertius vero: *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eaque duxtaxat conjunctione easdem inter se connectit, quæ est secundum dignitatem, hoc est auctoritatem, vel potestatem, & non ea potius, quæ est secundum naturalem unionem, anathema sit*. Chalcedonense hæc habet (*a*): *Confitemur unum eundemque Christum filium Dominum unigenitum in duabus naturis inseparabiliter inconfuse indivise immutabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque substantiam concurrente*. Constantinopolitanum II. inquit (*b*): *Si quis dicit secundum gratiam vel secundum operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum honoris æqualitatem, vel secundum auctoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem unitionem Dei Verbi ad hominem esse factam . . . sed . . . non secundum compositionem sive secundum subsistentiam . . . . anathema sit*.

Hoc idem docent Patres. S. Ignatius Martyr inquit (*c*): *Deus noster Jesus Christus in utero gestatus esse a Maria juxta dispensationem Dei ex semine Davidis, Spiritu autem S., qui natus est & baptizatus est. &c*. S. Iræneus (*d*): *Ipse Christus cum Patre vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & fratribus manifestatus est*. S. Cyprianus (*e*): *Hic* (sermo divi-

(a) *Actio* 4. *in profess. fid*.
(b) *Collat*. 8. *can*. 4. (c) *Ep. ad Ephes*.
(d) *Lib*. 4. *Cap*. 15. *ol*. 11.
(e) *De Idol. vanit*.

nus, seu Verbum) *in virginem illabitur, carnem cooperante Spiritu S. induit, Deus cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est.* S. Ambrosius (*a*) *Non alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine.* Tandem S. Augustinus inquit (*b*): *Christus Jesus Dei filius est & Deus & homo . . . Deus quia Dei Verbum . . . . homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis & caro.*

Accedit ratio. Nam si Deus factus non fuerit homo, jam corruit totum præsens systema reparationis nostræ, quomodo enim aut aliquam potuit exhibere satisfactionem pro peccato qui esset tantum Deus, aut condignam, qui esset tantum homo? Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Hæ humanitatem Christi dicunt *templum Divinitatis;* inquit enim ipse Christus (*c*): *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* dicunt insuper *vestem* Divinitatis; nam Christus asseritur (*d*) *habitu inventus ut homo.* Templum autem cum habitante in ipso, vestis cum induto ipsa non sunt unita substantialiter. Ergo nec humanitas cum Verbo.

℟. Primo etiam corpus nostrum aliquando in Scripturis dici *domum, tabernaculum, & indumentum nostrum;* nam inquit Apostolus (*e*): *Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur &c.*, & infra (*f*): *Nam & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati*: & de corpore vitiis polluto dicitur (*g*): *Odientes eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam;* & tamen quis negabit unionem nostram cum corpore esse substantialem? Directe ℟. (omisso quod humanitas

(a) *De Incarn. Cap.* 5. *n.* 35.
(b) *Ench.* 35.
(c) *Jo.* 2.
(d) *Philipp.* 2.
(e) 2. *Cor.* 5.
(f) *Ibid.*
(g) *Ep. S. Jud.*

tas vocetur templum; nam rigoroſe, cum Chriſtus dixit: *ſolvite templum hoc*, non de tota humanitate loquebatur, ſed de ſolo corpore) humanitatem dici templum Dei, quia ſicuti Deus in templis habitat peculiari modo, quo non habitat alibi, & in iis ſpeciali modo colitur & honoratur, ita Deus in humanitate Chriſti habitabat modo peculiari, & in ipſa ac ab ipſa ſpeciali modo honorabatur. Pariter ideo dicitur Verbum coopertum humanitate quaſi veſte, quia ſicuti veſtis tegit corpus & ipſa apparet, ita humanitas divinitatem, ut ſic dicam, tegebat, & ipſa extrinſecus apparebat. At hæc non tollunt ſubſtantialem Verbi unionem cum humanitate Chriſti. Ergo &c.

Obj. ex ſenſu Eccleſiæ. I. in Chalcedonenſi laudata eſt fides Theodoreti, & Ibæ Edeſſeni, qui tamen duas in Chriſto agnoverunt perſonas; uterque enim acerrime carpſit doctrinam S. Cyrilli in ejus anathematiſmis comprehenſam, ac Synodum ipſam Epheſinam, quæ Neſtorium damnaverat: uterque expreſſe dixit alium eſſe Chriſtum, alium Deum, ut conſtat de primo tum ex ejus Pentalogio, tum ex variis ejus epiſtolis excerptis a Mario Mercatore auctore coævo editis, de altero vero ex ejus epiſtola ad Marim Perſam. Ergo &c.

II. Si una eſſet Verbi & Chriſti perſona, vera eſſet hæc propoſitio: *Unus de Trinitate paſſus eſt*. Hæc autem eſt falſa; nam Hormiſdas Papa damnavit Monachos Scythas, quod illam aſſererent. Ergo &c.

Ad I. ℞. Laudatam fuiſſe in Chalcedonenſi fidem tum Theodoreti, tum Ibæ, licet quæ ſcripſerant videantur adſtruere duplicem in Chriſto perſonam, quia hæc ſcripta in Chalcedonenſi retractarunt. Sane neuter in eodem Concilio ad communionem cum reliquis Epiſcopis admiſſus eſt, niſi poſtquam expreſſe dixerunt anathema Neſtorio, & ejus ſententiæ: hoc autem anathemate virtualiter retractarunt quæ pro ejuſdem Neſtorii ſententia dixerant. Et de facto in V. Synodo ge-

nerali, cum denuo revocata fuiſſent ad examen utriuſque ſcripta jam dicta, hæc fuerunt damnata, licet non fuerint damnatæ ipſorum perſonæ, eo quod jam in Chalcedonenſi fuiſſent abſoluti. Fuit igitur in hoc laudata fides Theodoreti & Ibæ, fides inquam, non quam in dictis ſcriptis oſtenderunt, ſed quam oſtenderunt hæc retractando per damnationem Neſtorii, ejuſque errorum. Ergo &c. Vide Natalem Alexandrum in hiſtoria eccleſiaſtica (*a*).

Ad II. ℟. Illam propoſitionem eſſe catholicam, & acceptatam in V. Synodo & a Joanne II. (*b*) Juſtinianum laudante, quod illam profiteretur, & Monachos Acæmetas illam reſpuentes damnante. Monachi autem Scythæ damnati non ſunt, quia illam aſſererent, ſed quia pertinaciter volebant eandem eſſe addendam definitioni fidei factæ in Chalcedonenſi. Ergo &c.

Obj. ex Patribus. I. ex iis aliqui appellant Chriſtum *hominem Deiferum*, vel *Deificatum*: ita Baſilius. Alii appellant *hominem Dominicum*: ita Athanaſius. Alii dicunt a Verbo fuiſſe *aſſumptum hominem*: ita Ambroſius, & Auguſtinus. Alii dicunt humanitatem *inſtrumentum Verbi*: ita Cyrillus, & Damaſcenus. Alii tandem incarnationem explicant ſimilitudinibus unionis ignis cum ferro candenti, rami cum arbore, cui inſitus eſt: quæ omnes locutiones, cum importent unionem tantum accidentalem humanitatis cum Verbo, duplicitatem innuunt perſonæ in Chriſto. Ergo &c.

II. Expreſſius Chryſoſtomus adſtruit duas perſonas in Chriſto; ait enim (*c*): *Vides quomodo, & quam dilucide dividat creaturas & creatorem, miniſtros & dominum, verumque ac proprium hæredem, & filium ac ſervos. Ad filium autem dicit:*

(a) *Diſſert.* 4. *in Hiſt. Eccl Seculi* 6.
(b) *Ep. ad Juſtin.*
(c) *Homil.* 3. *in cap*, 1. *ad Hebr. n.* 1.

cit: thronus tuus Deus in sæculum sæculi: ecce regni signum . . . Deinde rursus de eo, quod est carne indutum: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus . . . Hic & Judæos, & Pauli Samosateni asseclas, & Arianos, Marcellumque, & Sabellium feriit, & Marcionem. Quomodo? Judæos quidem, ostendens unum esse duo, & Deum & hominem . . . . Adversus Marcellum autem & alios, quod sint duæ personæ divisæ per hypostasim: ubi, ut patet, Chrysostomus asserit Paulum in Christo designare duas personas. Ergo &c.

Ad I. ℟. Stare locutiones Patrum cum unicitate personæ in Christo, adeoque cum unione substantiali humanitatis personalitati Verbi; nam Christus appellatur homo *Deifer* vel *Deificatus* vel *Dominicus* quatenus ille homo Christus per unionem hypostaticam factus est Deus, adeoque gerens divinitatem, & factus est dominus omnium (ubi obiter adverto a S. Basilio non dici Deiferum Christum, sed Deiferam carnem Christi. Adverto insuper ab hac propositione: *Christus est homo Dominicus*, quamvis hæc, ut prolata aliquando a Patribus, habeat rectum sensum, ut innui, consultius tamen esse abstinere; cum enim *Dominicus* dicatur denominative a Domino, & denominatum distinguatur aliquo modo a denominante, videtur hac propositione distingui Christus a Domino, cum tamen Christus, & Dominus unus & idem sint). Porro cum Patres dicunt fuisse *hominem assumptum* a Verbo, id intelligunt de humanitate sumendo concretum pro abstracto (quod ipsum tamen post hæresim Nestorii, qui asserendo Verbum assumpsisse hominem, id intelligebat de humana nedum natura sed & persona, est fugiendum). Rursus cum Patres dicunt humanitatem esse Verbi *instrumentum*, id non intelligunt de instrumento separato, quale est E. G. malleus respectu artificis, sed de conjuncto, quale etiam per nos est humanitas Christi respectu Verbi. Tandem Patres adhibendo dictas similitudines non contendunt incarnationem

perfecte explicare, sed tantum aliquatenus adumbrare.

Ad II. respondent Sixtus Senensis, Velosillus, aliique locum adductum esse ab Hæreticis depravatum, quod probant tum ex quo Theophylactus referens hæc verba Chrysostomi non dicit *ostendens duas personas & Deum & hominem*, *sed ostendens duas personas Deum, & Deum*, tum ex quo repetitio nominis Dei magis congruat cum sententia S. Pauli adducentis locum psalmi, in quo dicitur: *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*. Per *duas autem personas Deum, & Deum* volunt hi significari personam Patris ac Filii. Alii volunt sumi a Chrysostomo nomen personæ pro natura, ita ut idem sit *ostendens duas personas*, ac *ostendens duas naturas*. Prior responsio conjecturis tantum nititur, altera videtur falsa, ex quo inusitatum sit Chrysostomo adhibere personam pro natura.

Probabilius ergo respondetur nec depravatum esse textum Chrysostomi, nec ab ipso sumi personam pro natura, sed ibi per *duas personas* indicari personam Patris & Filii, per *Deum* autem & *hominem* indicari naturam divinam & humanam Christi. Chrysostomus itaque ibi totus est in ostendenda multiplicitate & personarum in Deo, & naturarum in Christo, quod utrumque negant Judæi. Ad hoc autem adhibet illud relatum a S. Paulo (a): *Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, virga æquitatis virga regni tui: dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ*; hic enim, inquit Chrysostomus, de Deo fit sermo, qui dicitur ungendus a Deo. Duplex ergo Divina persona designatur, & en demonstrata multiplicitas personarum. Rursum per Chrysostomum (b) *divinitas non ungitur sed humanitas*. Qui ergo ungen-

(a) *Hebr.* 1. (b) *Ibid.*

gendus est, licet Deus, habet humanitatem, & ea demonstrata duplex in Christo natura. Cum ergo dicit Chrysostomus *Judæos quidem, ostendens duas personas, & Deum & hominem*, illud *duas personas* refert ad Patrem, & Filium, illud autem & *Deum & hominem* refert ad duplicem in Christo naturam. Et sane duæ personæ, quæ, per Chrysostomum, ex allato Scripturæ loco eruuntur, illæ sunt, quas negabant Judæi. At hi non negabant duas personas in Christo, quem potius volebant purum hominem, adeoque personam a persona Dei distinctam, sed negabant duplicem personam in Deo. Ergo &c. De iisdem autem personis loquitur infra, dum dicit: *Adversus Marcellum autem & alios, quod sint duæ personæ divisæ per hypostasim*; Marcellus enim utpote Sabellianus negabat distinctionem personarum in natura Divina. Ergo &c.

Hucusque dictis robur accedit ex quo, si Chrysostomus revera duplicem personam in Christo agnovisset, illius certe auctoritate usi fuissent Nestorius & Nestoriani, quorum tamen nullus in sui erroris patrocinium illum adduxit. Ergo &c.

Obj. ex ratione I. Natura intellectualis & personalitas realiter non distinguuntur. Si ergo in Christo fuit humana natura, fuit etiam humana personalitas. Ergo eadem non est persona Christi, ac persona Verbi, adeoque &c.

II. Admissa unione substantiali Verbi cum humanitate persona Christi erit composita atque creata. Hoc non. Ergo &c.

III. Admissa hac unione Verbum adeoque Deus poterit dici passus & mortuus, cumque Deus & divinitas realiter sint unum & idem, poterit dici passa & mortua divinitas. Hoc non. Ergo &c.

Ad I. ℟. Naturam quidem intellectualem non distingui a personalitate quoad entitatem, sed tantum quoad aliquem respectum: scilicet personalitas est ipsa entitas naturæ intellectualis considerata non nude qua talis, sed quatenus alteri di-

digniori se non est communicata, adeoque sui juris est, ita ut quidquid agit, aut patitur proprio nomine agat, aut patiatur. Potest autem haberi entitas creaturæ intellectualis, quin habeatur dictus respectus. Ergo &c. Et sane si habeantur solum 10. entia, E. G. 10. homines, entitas decimi eadem erit ac entitas ultimi, & tamen potest remanere entitas decimi sublato respectu ultimi, si nempe addatur undecimus. Ergo proportionaliter in casu, licet entitas naturæ intellectualis non sit realiter distincta a personalitate, potest remanere illa, hac sublata, si nempe illa alteri digniori se communicetur, quod sit ultimatum suarum operationum principium. Ergo &c.

Ad II. respondent aliqui negando majorem quoad primam partem (de secunda infra). Non enim, inquiunt, unio duarum naturarum in Christo efficit compositionem in ipsius persona, tum quia persona Christi est persona Verbi, quæ est incapax compositionis, tum quia componentia debent esse priora composito: neutra autem natura est prior persona Christi, cum divina, utpote cum persona identificata, potius cum hac sit simul, humana sit potius posterior; tum quia componentia sunt semper minus perfecta composito, natura autem divina talis non est respectu Christi: tum tandem quia si persona Christi esset composita, esset vera hæc propositio: *Duæ naturæ divinitas & humanitas sunt unus Christus*, quam tamen propositionem prolatam a Joanne Huss Constantiense (*a*) damnavit.

Alii tamen cum S. Thoma concessa majore negant minorem: contendunt enim personam Christi recte dici compositam. Quod ut declarent, supponunt dupliciter considerari posse hanc personam, scilicet quatenus solum dicit personam Ver-

(a) *Se*

Verbi, & quatenus habet sibi unitam humanitatem: personam Christi primo modo consideratam concedunt non posse dici compositam, at compositam dici volunt spectatam secundo modo, cum id doceat Concilium V. generale inquiens (*a*): *Confitemur unitionem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali secundum compositionem factam esse, sicut Sancti Patres docuerunt, & ideo unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de Sancta Trinitate*: & Concilium confiteatur (*b*) *Christum ex duabus naturis compositum*: doceat Damascenus, qui ait (*c*): *Ex duabus naturis perfectis, hoc est divina & humana, unionem extitisse dicimus non per conspersionem, aut confusionem . . . verum ratione compositionis . . . & in duabus perfectis naturis unam filii Dei & incarnati personam confitemur*: doceat ratio; illud enim est compositum, in quo plura habentur ab invicem distincta, & simul posita ad constituendum unum. Talis est persona Christi: nam hæc importat personam Verbi, naturam divinam, & naturam humanam: persona autem Verbi & natura divina ex una parte, & natura humana ex alia sunt distincta, & simul posita ad faciendum unum Christum. Ergo &c.

Hinc hi rationibus adversariorum occurrunt dicendo person[illegible] Christi esse quidem personam Verbi, sed alio[illegible] amplius importare, quam importet persona [illegible]bi, cum hæc simpliciter importet secunda[illegible] Trinitatis Personam ut subsistentem in natura divina, quo modo est incapax compositionis; illa autem importet ipsam Verbi personam ut subsistentem in utraque natura, quo modo compositionis est capax. Prioritas vero cōmponentium respectu compositi, dicunt ipsi,

---

(a) *Can.* 4. (b) *Can.* 1.
(c) *Lib.* 3. *de Fid. cap.* 3.

non est temporis, sed cognitionis, consistens in hoc quod non possit concipi duo uniri inter se, nisi intelligantur existere, quod utique verificatur in casu; nam licet non extiterit prius tempore aut divina aut humana natura, quam extiterit persona Christi ut in utraque natura subsistens, antequam tamen intelligeretur illarum unio, debebat intelligi illarum existentia. Porro dictum illud; *Componentia sunt minus perfecta composito*, dicunt verificari de minori perfectione non absoluta, sed secundum quid, quatenus scilicet fieri potest, ut componens in se habeat absolute æqualem perfectionem ac compositum (ut Deus, qui est componens universi, æqualiter est perfectus in se, & absolute, ac totum ipsum universum, cum creaturæ, quæ sunt alterum universi componens, nihil perfectionis habeant, quæ non sit in Deo) sed tamen compositum semper erit perfectum aliquo modo, quo non est componens (ut universum ex Deo compositum & creaturis continet perfectiones corporeas formaliter, Deus autem eas non continet nisi eminenter). Ita volunt proportionaliter evenire in casu, cum natura divina absolute sit æque perfecta, ac persona Christi, licet non eodem modo; nam illa non continet nisi eminenter perfectiones, quæ personæ Christi ratione humanitatis formaliter conveniunt. Propositionem autem Joannis Huss dicunt fuisse damnatam non absolute, sed in sensu ab ipso intento, nimirum vel quia dicebat Christum esse mixturam utriusque naturæ in sensu Eutychiano, vel quia dicebat utramque naturam singillatim sumptam esse Christum.

Advertunt tamen hi compositionem ab ipsis admissam in Christo esse compositionem quandam peculiarem, quæ licet in aliquibus cum aliis compositionibus conveniat, in aliis tamen differt. Convenit scilicet in hoc, quod & ipsa importet plura distincta simul posita ad constituendum quid unum; sed differt ab aliis in hoc, quod com-

po-

ponentia in Christo non se habent rigorose per modum partium, quarum est se mutuo perficere; divina enim natura humanam perficit, sed non è contra, unde his naturis in Christo rejecto nomine *partium* assignant potius nomen *componentium*. Hinc talem compositionem nolunt dici compositionem *ex his*, quod compositionis genus indicat unionem plurium partium incompletarum, sed solum *cum his*, quod compositionis genus, ut distinguitur a superiore, solum indicat plura distincta simul posita, quæ tamen omnia non sunt necessario incompleta.

Ex his sententiis secunda videtur probabilior. Adverto tamen quod, si etiam Christus dicatur *ex duabus naturis esse*, dummodo non sit sensus has se mutuo perficere, aut ab iis constitui tertiam naturam subsistentem subsistentia communi, non esset improbandus hic loquendi modus, & de facto eum adhibuit S. Hilarius inquiens (*a*): Christus *ex unitis in idipsum naturis naturæ utriusque res eadem est*; sed ob hæresim Eutychianam contendentem duas fuisse in Christo naturas ante unitionem, & unam tantum postea, necesse fuit asserere Christum nedum ex duabus esse naturis, sed etiam in duabus. Hinc cum in Chalcedonensi Anatolius fidei formulam exarasset, qua dicebat Christum *ex duabus esse naturis*, Patres institerunt, ut adderet *& in duabus*. Ubi etiam noto, cohærenter ad dicta vere asseri posse Christum esse ex tribus substantiis, nimirum ex divinitate, corpore & anima, & ita docet Augustinus inquiens (*b*): *Sic Deo conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substautiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus Deo, anima, & carne.*

Ad aliud, quod subditur, nimirum ex unione substantiali humanitatis cum Verbo sequi, quod

(a) *Lib. 9. de Trinit. n. 3.*
(b) *Lib. 13. de Trinit. cap. 17.*

quod persona Christi dici possit creata, ℟. nullum esse in hoc absurdum (dummodo per talem personam ipsam præcise personam Verbi non intelligamus, sed ipsam ut humanitati hypostatice unitam). Nam licet unum ex componentibus personam Christi, nempe personalitas Verbi sit quid increatum, totum tamen resultans ex personalitate Verbi & humanitate est aliquid a Deo in tempore productum, seu est a Deo in tempore producta unio, quæ personam Christi (ut hic consideratur) constituit, & potest talis unio a Deo tolli. Hoc autem sufficit, ut persona Christi possit dici creata saltem minus rigorose, scilicet prout res omnes, quæ in tempore cœperunt existere, creatæ dici possunt. Adverto tamen hanc propositionem: *Christus est quid compositum & creatum*, & similes non esse afferendas absque clara explicatione, nè detur locus erroribus.

Ad III. ℟. Dici posse Deum passum & mortuum, non vero passam & mortuam divinitatem; Deus enim directe indicat personam, divinitas naturam divinam. Passa autem & mortua utique est persona divina, non autem divina natura. Ergo &c. Nec obstat, quod natura divina, & divina persona sint unum & idem realiter; nam sicut etiam hoc non obstante aliqua possunt dici de natura, quæ de persona non dicuntur, & viceversa, ut dicitur de natura ipsam esse communem tribus personis, personalitatem autem hanc vel illam non esse, & personam producere, vel produci, quod de natura non dicitur; ita a pari &c.

Ad complementum dicendorum circa rem præsentem, adverto primo unioni Verbi cùm humanitate nullo tempore præextitisse ipsam humanitatem, sed simul ac ipsa extitit, fuisse hypostatice unitam Verbo, ut traditur in Ephesino & Chalcedonensi. Eodem ergo unico temporis instanti formatum est corpus Christi, creata anima, ac corpori infusa, & utrumque hypostatice a Verbo assumptum. Quod si aliqui Patres duplicem confitentur Christi naturam ante incarnationem,

quod

quod supponere videtur humanitatem unioni præextitisse, explicandi sunt de existentia quoad modum concipiendi, quatenus scilicet, ut superius dixi, non potest concipi unio duorum, nisi prius concipiatur illorum existentia: secundo unionem hypostaticam esse omnino indissolubilem; *quod enim Verbum semel assumpsit*, ut habet commune axioma, *nunquam dimisit:* & hinc in triduo mortis Verbum remansit unitum tum animæ tum corpori Christi, licet hæc fuerint ab invicem separata.

ARTICULUS SECUNDUS.

Assertio. *Maria vere est dicenda* Deipara.

Probatur ex supracitato Concilio Ephesino approbante anathematismos S. Cyrilli, ubi expresse Maria dicitur *Deipara*.

Prob. ex S. Gregorio Nazianzeno dicente (*a*): *Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra Divinitatem est*.

Prob. ratione. Quæ vere mater fuit Dei est dicenda Deipara. Talis fuit Maria; nam ex visis capite secundo hujus Dissertationis ipsa fuit mater Christi, ex visis articulo superiore hujus capitis Christus erat verus Deus. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis. Vox *Deipara* nusquam in iis invenitur. Ergo non est adhibenda.

℟. Hanc vocem materialiter quidem non inveniri in Scripturis, sed inveniri formaliter, scilicet quoad sensum, cum in Scripturis contineatur Mariam esse matrem Dei, quod sufficit, ut possit dici *Deipara*. Sane nec vox *homusion* materialiter continetur in Scripturis, sed tamen quia continetur quoad sensum, licuit Nicæno eam adhibere. Ergo, a pari &c.

Obj. ex Conciliis. In Nicæno, in quo actum est de Maria, ut patet ex Symbolo in eodem Con-

(a) *Epist.* I. *ad Cledonium*.

Concilio exarato, vox *Deipara* non est adhibita, imo Chalcedonense detrectavit eam adhibere, quamvis id poscerent aliqui. Ergo &c.

℟. Nicænum vocem Deipara non adhibuisse, quia tunc nulla erat adhibendi necessitas; sed tamen asseruit implicite Mariam esse Deiparam, cum definivit (*a*) Verbum ex ea natum esse, Chalcedonense autem noluit hanc vocem adhibere, primo quia tunc nulla erat ejus adhibendæ necessitas, cum in Ephesino satis divina Mariæ maternitas fuisset definita: secundo nè videretur asseri Mariam esse matrem Dei in sensu Eutychetis, qui confusionem naturarum in Christo admittens, vel asserebat Mariam esse matrem Christi absque eo quod corpori ipsius vere dederit originem, vel asserebat ipsam esse matrem divinitatis, quod utrumque est hereticum.

Obj. ex ratione. Maria non genuit divinitatem Christi. Ergo non est dicenda Deipara.

℟. Mariam posse dici *Deiparam*, etsi divinitatem Christi non genuerit; sufficit enim si genuerit humanitatem illius, qui Deus est, ut aliæ humanæ matres, licet non generent animas, vere tamen dicuntur matres hominum, quia generant corpora illorum, qui homines sunt.

CAPUT QUINTUM.

De consectariis unionis Verbi cum humanitate.

IMpugnabo hic 1. errorem Eutychetis: 2. errorem Monothelitarum: 3. agam de communicatione idiomatum.

AR-

(a) *In Symbol.*

ARTICULUS PRIMUS.

Assertio. *Duæ sunt in Christo post unitionem naturæ distinctæ, inconfusæ, impermixtæ, divina scilicet & humana, salvis utriusque proprietatibus*. Est de fide contra Eutychetem.

Prob. tum ex Scripturis supra relatis, quæ dicunt Christum & verum hominem & verum Deum, tum ex iis, quæ Christo tribuunt operationes proprias naturæ divinæ & humanæ. Has operationes egregie prosequitur S. Leo Magnus (*a*), cujus testimonio placet probationem hanc comprehendere. Inquit ergo S. Doctor: *Nativitas carnis manifestatio est humanæ naturæ, partus Virginis divinæ est virtutis indicium. Infantia parvuli ostenditur humilitate cunarum, magnitudo Altissimi declaratur vocibus Angelorum. Similis est rudimentis hominum, quem Herodes impie molitur occidere, sed Dominus est omnium, quem Magi gaudent simpliciter adorare. Jam cum ad Præcursoris sui Joannis baptismum venit, nè lateret, quod carnis velamine divinitas tegeretur, vox Patris de cœlo intonans dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Quem itaque sicut hominem diabolica tentat astutia, eidem sicut Deo Angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire evidenter humanum est, sed quinque panibus quinque millia hominum satiare... sine ambiguitate divinum est... Non ejusdem naturæ est flere miserationis affectu amicum mortuum, & eundem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ ad vocis imperium excitare redivivum, aut in ligno pendere, & in noctem luce conversa omnia elementa tremefacere, aut clavis transfixum esse, & Paradisi portas fidei latronis aperi-*

(a) *Epist.* 24. *al.* 10. *ad Flavian. cap.* 4.

perire: ita non ejusdem naturæ est dicere, ego & Pater unum sumus, & dicere, Pater major me est.

Prob. ex Conciliis. Chalcedonense docet (*a*) *Christum .... eumdem perfectum in deitate, & eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eundem ex anima rationali & corpore consubstantialem Patri secundum Deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem .... ante sæcula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eumdem... ex Maria ... secundum humanitatem, unum eundemque Christum ..... in duabus naturis inconfuse, & immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistentiam concurrente.*

Prob. ex Patribus. S. Hilarius ait (*b*): *Nescit plane vitam suam, nescit qui Christum Jesum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat*. Nazianzenus inquit (*c*): *Missus est quidem, sed ut homo, duplex enim erat in eo natura*. Ambrosius ait (*d*): *Idem Deus, idem homo, per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo*. Cyrillus Alexandrinus *unum*, inquit, (*e*) *eundemque Jesum Christum dicimus, non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfuse inter se servantes*, & alibi (*f*): *Unum confitere naturas non dividens, sed ita ut scias interim & sentias aliam esse carnis rationem, aliam*

(a) *In definit. Fid. action.* 5.
(b) 9. *de Trinit. n.* 3.
(c) *Orat. de Christi Nativ.*
(d) 2. *de Fid. cap.* 7. *ol.* 4.
(e) *De Incarnat. cap.* 12.
(f) *Lib.* 2. *cont. Nestor.*

liam dignitatem sibi ipsi convenientem, *non enim carnem ipsam Verbi divinitatem factam esse dicimus*, Augustinus *inter Deum*, inquit (*a*), *& homines mediator apparuit in unitate personæ copulans utramque naturam*.

Prob. ratione. I. sublata duplicitate naturæ non potuisset Christus nos redimere; nam sublata natura creata, non potuisset pro nobis satisfacere, sublata divinitate non potuisset satisfacere ad æqualitatem. Ergo &c. II. Duæ naturæ nequeunt in unam coalescere, nisi vel per hoc, quod una mutetur in aliam, vel per hoc, quod una remanente altera destruatur, vel per hoc, quod ex utraque exurgat tertia, ut ex corpore & anima exurgit homo. Nullo autem ex his modis duæ Christi naturæ in unam coaluerunt; nam primo impossibile est vel quod divinitas in humanitatem, vel quod humanitas in divinitatem convertatur, alioquin divinitas mutaretur: secundo natura humana (hæc enim sola erat capax quæ destrueretur) remansit in Christo post incarnationem; nam ex supra probatis remansit verum corpus & vera anima, quæ naturam humanam constituunt: III. si ex duabus naturis tertia exurgeret, illæ essent incompletæ, & se haberent per modum partium respectu compositi, quod saltem respectu naturæ divinæ est impossibile. Ergo &c.

Obj. ex Scripturis, ubi dicitur (*b*): *Verbum caro factum est*: quod autem fit aliud, in aliud convertitur, ut cum (*c*) in nuptiis Canæ Galilææ aqua facta est vinum, cessavit esse aqua, & evasit vinum, & cum panis fit caro Christi, cessat esse panis, & evadit Christi caro. Ergo a pari &c.

℟. Pri-

(a) *Ep. ad Volusian.* 137. *al.* 3. *cap.* 3.
(b) *Jo.* 1. (c) *Jo.* 2.

R. Primo quod, si argumentum valeret, divinitas esset conversa in humanitatem, adeoque Christus factus homo cessasset esse Deus, quod tamen Eutychiani non admittunt, volentes destructam quidem esse per unitionem humanitatem, non autem divinitatem Secundo quod fit alterum, aliquando cessat esse quod prius erat, aliquando non. Sanguis E. G., cum fit caro, cessat esse sanguis, lignum, cum fit cinis, cessat esse lignum: at homo cùm fit Sacerdos, non cessat esse homo, arbor, cum fit viridis, non cessat esse arbor &c. Quonam autem ex his modis sit intelligendum unum fieri alterum, deducendum est ex circumstantiis, & ita ex iis colligitur aquam factam vinum deposuisse naturam aquæ, & panem factum corpus Christi deposuisse naturam panis. In casu Deus non potest fieri homo per hoc, quod cesset esse Deus, ex visis; ergo per hoc, quod remanens Deus esse quoque hominis inducat. Audiatur etiam circa hoc S. Cyrillus dicens (a): *At si Verbum, inquiunt, factum est caro, jam non amplius mansit Verbum, sed potius desiit esse quod erat. Atqui hoc merum delirium, & dementia est. Censent enim, ut videtur, per hoc, factum est, necessaria quadam ratione mutationem alterationemque significari. Ergo cum psallunt quidam: & factus est mihi Dominus in refugium, & rursus: Domine refugium factus est nobis, quid respondebunt? Anne Deus, qui hic denotatur, desinens esse Deus mutatus est in refugium, & translatus est naturaliter in aliud, quod ab initio non erat?* Rursus S. Augustinus hac similitudine explicat incarnationem: (b) *Sicut verbum quod corde gestamus, fit vox, cum id ore proferimus, non tamen illud in hanc commu-*

(a) *Dialog. de Incarnat.*
(b) *Serm. 187. ol. 27. de tempor. cap.* 3. & 4.

mutat, sed illo integro ista, in qua procedat, assumitur, ut & intus maneat quod intelligatur, & foris sonet quod audiatur, hoc idem tamen profertur in sono quod ante sonuerat in silentio; atque ita verbum, cum fit vox, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce procedit ad audientem, & non deserit cogitantem . . . . Et cum hoc esse cœpit (Verbum), *quod non erat, homo factus est permanens Deus.* Præterea Chrysostomus (*a*) notat illi *Verbum caro factum est* ideo additum esse, *& habitavit in nobis*, ut denotaretur diversitas naturarum. En ejus verba: *Quid enim subjicit* (Evangelista) *& habitavit in nobis? tanquam sic te alloqueretur: vide nè quid absurdi suspiceris ex hac voce: non enim mutationem immutabilis illius naturæ significavit, sed habitationem & commorationem. Porro id, quod habitat, non est idem cum eo, quod habitatur, sed diversum.*

Obj. ex Patribus. I. S. Justinus ait (*b*): *Quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus salvator noster & carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit, ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus ab ipso perfecti gratiæ sunt actæ, alimoniam .... incarnati illius Jesus carnem & sanguinem esse docti sumus.* Ubi ut patet, dicit ita Verbum esse factum hominem, ut panis fit corpus Christi in Eucharistia. Atqui panis fit corpus Christi per veram sui in corpus Christi mutationem. Ergo a pari &c.

II. Tertullianus (*c*) Christum appellat *hominem Deo mixtum*. Mixturæ etiam utriusque naturæ meminerunt alii Patres, quod, ut patet, indicat confusionem naturarum.

(a) *Homil.* 11. *al.* 10. *in Jo n.* 2.
(b) *Apol.* 2. (c) *Apol. cap.* 21.

III. S. Gregorius Nyssenus (*a*) docet humanitatem Christi per illius assumptionem factam a Verbo sic in divinitatem transiisse, *quemadmodum si quis dicat aceti guttam pelago immixtam esse hac mixtione mare factam, quod non amplius naturalis qualitas in prævalentis immensitate maneat*: & alibi (*b*) expressius, *quidquid*, inquit *illa* (humanitas) *est imbecillum, & morti obnoxium, divinitate commixtum, illud ipsum, quod est divinitas, est factum*.

IV. Unam esse Dei incarnati naturam expresse tradiderunt & Julius R. Pontifex inquiens (*c*): *Necesse est eos, cum duas naturas dicunt, unam adorare, ac in divinam quidem baptizari, in humanam vero non baptizari*; & S. Gregorius Thaumaturgus inquiens (*d*): *Non duæ personæ, nec duæ naturæ; non enim quatuor nos adorare dicimus*: & expressius S. Cyrillus Alexandrinus, qui ait (*e*) *Post unitionem non dividimus naturas a se mutuo, neque in duos secamus filios illum, qui unus est, & individuus, sed unum dicimus filium, & quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam*; & alibi (*f*): *Duas quidem naturas unitas asserimus, post unionem vero sublata in duas divisione unam esse credimus filii naturam tamquam unius, sed inhumanati & incarnati*. Hic profecto S. Doctor expresse dicit post unionem unam fuisse naturam Christi, duplicem tantum agnoscens ante ipsam unionem. Imo ibidem ait duas naturas in Christo sola cognitione distingui. Ergo &c.

Ad

(a) *Lib. 4. contr. Eunom.*
(b) *Cont. Apollin.*
(c) *Epist. ad Dionys. Corint. Episcop.*
(d) In *expos. fid.*
(e) *Epist. 2. 1. ad Success.*
(f) *Epist. 2. ad Success.*

Ad I. ℟. Justinum tantum velle, quod, sicuti sub speciebus panis vere est corpus Christi; ita vere caro & sanguis fuit in humanitate assumpta.

Ad II. ℟. nomen *mixturæ* ab aliquibus Patribus adhiberi ad denotandam intimam unionem utriusque naturæ in Christo, quod maxime dicendum de Patribus, qui vel contra hæresim Nestorianam, vel saltem illius tempore scripserunt; hi enim toti erant in adstruenda substantiali unione utriusque naturæ in una Christi persona. Sed hæc unio non impedit integritatem & confusionem utriusque naturæ. Audiatur S. Augustinus, qui ait (a): *Sicuti in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit, ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animæ & corporis, in hac persona mixtura est Dei & hominis, si tamen recedat auditor a consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam: quamquam & in ipsis corporibus aeri lux incorrupta misceatur.*

Ad III. ℟. Nyssenum id non asserere de substantia ipsa humana, aut de humanis proprietatibus essentialibus, nam aperte alibi (b) fatetur hæc omnia integra in unione permansisse inquiens; *Nos salvam esse naturam humanam Verbo unitam ex mysterio ipso didicimus;* sed asserere de affectionibus accidentalibus Christi, quæ ex conditione hominum naturali poterant tendere ad malum: has enim dicit fuisse veluti absortas a divinitate, adeoque veluti divinizatas, ita scilicet ut amplius non possent ad malum tendere.

N 2 Ad

(a) *Epist. ad Volurian.* 137. *ol.* 3. *cap.* 3.
(b) *Lib. contr. Apollin.*

Ad IV. ℟. testimonia tam Julii, quam S. Gregorii esse suppositiria, & Apollinaristis & Eutychianis conficta, ut testatur Leontius (*a*).

Ad S. Cyrillum ℟. primo indirecte, ipsum *unam naturam Verbi incarnati* non asserere in sensu Eutychiano. Primo enim hanc phrasim adhibuerunt alii strenui impugnatores Eutychianismi, quos proinde patet adhibuisse sensu diverso ab Eutychiano. Inter alios illam adhibuit S. Flavianus Eutychetis damnator, qui in sua fidei professione Imperatori oblata ait: *E duabus naturis Christum post incarnationem in una hypostasi constituentes, unam naturam Verbi incarnatam & carne indutam dicere non negamus*. Dixerunt quoque unam naturam Dei incarnatam Athanasius & Basilius Seleuciensis, & etiam post solemniter damnatam in Chalcedonensi hæresim Eutychianam Synodus Lateranensis sub Martino I., in qua damnatur *quisquis secundum SS. Patres non confitetur proprie & secundum veritatem unam naturam Dei Verbi incarnatam*. Secundo fides S. Cyrilli a Cælestino I. & a Gregorio II. laudatur, & a Synodis Ephesina & Chalcedonensi, & V. Synodus generalis damnavit scripta Theodoreti, ut contraria doctrinæ S. Cyrilli. Imo circa fidem ejusdem S. Cyrilli essent ipsius tempore ortæ in quibusdam Episcopis orientalibus dubitationes præcipue ob modum supradictum loquendi, qui ipsi videbatur hæreticus, cumque idem formulam fidei edidissent, in qua duas in Christo fatebantur naturas, S. Cyrillus illorum fidem probavit (*b*) & illorum Episolam sibi redditam a Paulo Emisseno apppellavit *irreprehensibilem* (*c*). Ergo &c.

Ter-

(a) *Lib. de Sectis*.
(b) *Epist.* 29. *ad Acacium Melitinent.*
(c) *Epist.* 28. *ad Jo. Antioch.*

Tertio ipse S. Doctor mentem suam clarissime explicat inquiens (*a*): *Supervacue ratiocinantur qui asserunt, si una sit natura Verbi Dei incarnata, prorsus consequi per mixtionem atque confusionem factam fuisse; imminuta nimirum atque subtracta hominis natura:* & infra: *Si dicentes unam Verbi naturam tacuissemus, ac minime adjunxissemus incarnatam, excluso propemodum dispensationis mysterio esset illorum fortasse oratio non inepta, dum interrogare se simulant, ubinam est in humanitate perfectio, aut quomodo subsistit illa nostra essentia? Sed quia & illa in humanitate perfectio & essentiæ nostræ declaratio illata est, dum dicimus incarnatam, desinant baculo inniti arundineo.*

℟. Secundo directe S. Doctorem asserere *unam naturam Verbi incarnatam* hoc solum sensu, quod per incarnationem natura divina & humana in una persona unitæ sunt, & quasi partes unum Christi compositum constituere cœperunt. Quod si quæras quare asserat S. Doctor duas fuisse naturas ante unionem, cum certum sit non præextitisse unioni humanitatem; respondeo ipsum id asserere, quatenus hanc considerat in priori ad unionem non quidem prioritate temporis, sed tantum signi juxta superius notata. Si autem naturam humanam & divinam dicit sola cognitione in Christo distingui, id dicit non quatenus solum per mentem, non realiter distinguantur, sed quatenus sunt simul unitæ in una persona, quomodo alibi (*b*) dicit Patrem & Filium in divinis licet realiter distinctos distingui cogitatione, quia conveniunt in natura; dicit enim: *Separari quodammodo videtur cogitatione gignens ab eo, quod gignitur,*

N 3 &

(a) *Epist. 2. ad Success.*
(b) *In Jo.*

& sine ulla divisione prodit, unum tamen est natura, & idem utrumque: & quomodo asserit sola cogitatione distingui in homine corpus & animam, quia eundem hominem constituunt; nam ait (*a*): *Duas in homine naturas intelligimus, unam animæ, alteram corporis. Sed cum sola discreverimus intelligentia, & differentiam sublimi contemplatione. seu mentis imaginatione conceperimus, non autem seorsim ponimus naturas . . . sed unius hominis esse intelligimus, ita ut illæ duæ jam non sint duo, sed utraque animal unum absolvatur.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Si ergo in Christo sunt duæ naturæ, ut contra Eutychianos statutum est, patet in ipso duas esse admittendas voluntates, ac operationes, contra quod negabant Monothelitæ Eutychiani. Sed quoniam, ut superius dixi, alii quoque erant Monothælitæ non Eutychiani, qui proinde duas admittentes in Christo naturas, duas quoque admittebant voluntates & operationes physice, non autem moraliter, modo supra explicato, ideo præstat hoc etiam in commentum refellere. Sit ergo

Assertio. *In Christo duæ sunt admittendæ voluntates & operationes nedum physice sed & moraliter distinctæ*. Est de fide.

Probari solet assertio iis Scripturæ locis, quibus dicitur humanam Christi voluntatem aliquam habuisse inclinationem diversam ab inclinatione voluntatis divinæ. Hæc autem sunt illa, ubi Christus dicit (*b*): *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: & rursus (*c*): *Non*

(a) *Cap. 2. ad Success.*
(b) *Matt. 26.* (c) *Luc. 22.*

Non mea voluntas, sed tua fiat: ubi patet diversam fuisse inclinationem voluntatis humanæ refugientis a passione, ab inclinatione voluntatis divinæ Patris (quæ eadem erat ac voluntas divina Christi) passionem volentis. Ex his autem colligi distinctionem voluntatum & operationum nedum physicam, sed & moralem ostenditur tum ex Augustino dicente (*a*): *In hoc, quod ait: non quod ego volo, aliud se ostendit voluisse quam Pater, quod nisi humano corde non potuisset . . . . Numquam enim posset immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater*: & Athanasio, ubi ait (*b*) *Duas voluntates hic ostendit humanam quidem, quæ est carnis, alteram vero divinam. Humana enim propter carnis imbecillitatem recusat passionem, divina autem ejus voluntas est prompta:* tum etiam quia ne moraliter quidem possunt duæ voluntates censeri una, si habeant inclinationes diversas. His simile est illud, ubi Christus ait (*c*): *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*, in quem locum S. Leo ait (*d*) *Secundum formam servi non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus, qui misit eum.*

Sed invictissimum ad assertionem firmandam meo quidem judicio argumentum suppeditant illa Scripturarum loca, quibus ostenditur Christum obedivisse, & obediendo meruisse: (hæc infra adducentur, cum de merito Christi erit sermo) ex his enim sic. Operationes, quibus Christus merebatur, a voluntate humana proveniebant libere propria libertate operante. Ergo in Christo aderant & operationes hu-

(a) *Lib. 2. contr. Maximin. cap.* 20,
(b) *Contr. Apollin.* (c) *Jo.* 6.
(d) *Ad Leon. Imp.*

manæ, & humana voluntas, quæ cum propria libertate operaretur, & non sola libertate voluntatis divinæ, non erat proinde hujus inanime instrumentum, adeoque nedum physice, sed etiam moraliter in Christo existebat. Cum igitur debebat in Christo etiam admitti divina voluntas propria gaudens libertate, & divina operatio, sequitur, quod duæ voluntates & operationes nedum physice, sed & moraliter distinctæ sint in Christo admittendæ.

Prob. ex VI. Synodo generali, in qua proscriptus fuit error Monothelitarum, & definitum, *duas naturales voluntates in Christo, & duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum SS. Patrum doctrinas prædicandas*.

Obj. ex Scripturis. Christus de se dicit (*a*): *Me oportet operari opera ejus, qui misit me*. Christus ergo necessitabatur ad opera Patris: hæc necessitas supra divinam voluntatem non cadebat. Ergo supra humanam: hæc ergo non erat libera, consequenter, etsi physice, non tamen moraliter in Christo existebat. Ergo &c.

℟. Ex hoc solum sequi, quod humana Christi voluntas non esset libera in iis, quæ Pater absolute volebat. Hoc & nos concedimus, cum Christo impeccabilitatem tribuamus. Sed hoc non tollit, quin humana ipsius voluntas propria libertate non polleret, quia hac pollebat in aliis, nec est de conceptu veræ libertatis potentia peccandi.

Obj. ex RR. Pontificibus. Honorius I. (*b*) Sergium laudavit, quod docuisset abstinendum esse a prædicanda sive una sive duplici in Christo voluntate & operatione: docuit unicitatem vel dupli-

---

(a) Jo. 9.
(b) *In Epist. ad Sergium*.

plicitatem operationis in Christo ex Scripturis non colligi: vetuit, nè quispiam unam vel duplicem operationem in Christo confiteretur, nè, si confiteretur unam, videretur sentire cum Eutychianis, si duplicem, cum Nestorianis: & tandem aperte dixit unam tantum, non duplicem asseri debere in Christo operationem. Ergo &c.

℟ Primo omittendo Honorium fuisse in errore Monothelitarum; cum enim hunc ex cathedra non definierit, sed tantum privatim in epistolis ad particularem Episcopum hæc scripserit, poterit tantum asseri ipsum ut privatum doctorem ita sensisse, in quo si erravit, nihil contra nos, qui RR. quidem Pontificum definitiones ex cathedra, non autem privatas sententias asserimus esse regulas fidei.

℟. Secundo probabilius Honorium non fuisse in errore Monothelitarum; quæ enim contra afferuntur, possunt in recto sensu explicari. Ipse scilicet volebat, ut silentium servaretur circa unicitatem vel duplicitatem voluntatis in Christo (quam vel unicitatem vel duplicitatem dicebat non colligi ex Scripturis quoad voces, non quoad sensum) ad evitandas rixas in Ecclesia, in qua cœperat hæc quæstio suis temporibus agitari: & sane non minus prohibuit duplicem dici in Christo operationem & voluntatem, quam unam. Si ergo ex quo prohibuerit duas dici, sequeretur ipsum revera duas exclusisse, ita ex quo prohibuerit dici unam, sequeretur ipsum admisisse plusquam unam, quod implicat, ut patet. Quod si unam dicit postea voluntatem & operationem in Christo, non id dicit in sensu Monothelitarum, sed ideo dicit, qua una voluntas & operatio nunquam fuit alteri voluntati & operationi contraria, ut patet ex ejus verbis (a): *Unam*

(a) *Epist.* I.

fatemur voluntatem Domini nostri Jesu Christi, quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata... Non est itaque assumpta, sicut præfati sumus, a Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus. Adde ita explicari ipsius mentem (*a*) a Joanne IV., qui Honorio fuerat a secretis, & epistolas ipsius Honorii scripserat. Adde insuper quod Agatho successor Honorii in epistola ad Imperatorem, quæ lecta est in VI. Synodo generali, asserit prædecessores suos semper veram fidem prædicasse, quod non potuisset asserere, si Honorius fuisset Monothelita. Adde tandem quod ipse expresse in suis epistolis dixerat ambas in Christo naturas proprie fuisse operatas.

Quod maxime huic responsioni videtur obstare est, quod Honorius cum aliis Monothelitis damnatus sit in VI. Synodo; sed ℟. vel esse vitiata acta VI. Synodi, & intrusum nomen Honorii, vel probabilius ipsum fuisse damnatum non ut formaliter hæreticum, sed solum, quia non compresserit hanc hæresim, ut debebat.

Obj. ex Patribus I. isti aliquando docent in Christo non fuisse voluntatem humanam. Ita S. Athanasius inquiens (*b*): *Natus igitur ex fœmina formam hominis ex primaria, & originali creatione in se restituit exhibita carne, quæ libidinibus carnalibus & cogitationibus careret in imagine novitatis; hunc enim hominem non voluntas carnis, sed sola dumtaxat voluntas Deitatis constituit*: & Nazianzenus, qui ait (*c*): *Illius voluntas, cum tota divinitate perfusa sit, Deo procul dubio non adversatur.*

II.

(a) *Epist. ad Constant. edit. a Sirmond.*
(b) *Lib. de Salutar. advent. Christ.*
(c) *Orat. 2. de Filio 4, de Theol.*

II. Aliquando dicunt naturam humanam fuisse instrumentum divinitatis (instrumenti autem & causæ illud moventis una est moraliter actio). Ita S. Gregorius Nyssenus, qui de Christo dicit (*a*); *Ita divinitatem per corpus, quod induit, communem omnium salutem operari, ut propria sit carnis perpessio, Dei vero sit operatio*: ubi ut patet, vult carnem, sive humanitatem esse divinitatis instrumentum: & S. Cyrillus Alexandrinus inquiens (*b*): *Usus est tamquam instrumento propria quidem carne ad opera carnis . . . . anima itidem propria ad humanas & expertes vitii operationes*.

III. Aliquando expresse asserunt in Christo unam tantum fuisse operationem: ita S. Dyonisius, qui inquit (*c*): *Ab incarnationis tempore non secundum Deum divina gessit Christus, nec humana secundum hominem, verum Deo viro facto unam quandam Theandricam seu Deivirilem operationem expressit in vita*: & supra adductus S. Cyrillus inquit (*d*): *Quando Synagogæ principis filiam suscitabat . . . ut Deus & verbo, & carnis suæ tactu eam excitavit, unam ab uno se Christo, Deo videlicet atque homine operationem producens*.

Ad I. ℟. S. Athanasium vel non loqui de voluntate humana Christi, sed de modo, quo formata fuit Christi humanitas, quam asserit formatam non voluntate carnis, idest hominum volentium illam generare, sed solius Dei voluntatem ipsam modo ineffabili producere: vel solum negare humanam Christi voluntatem unquam fuisse contrariam divinæ, quo eodem sensu loquitur Nazianzenus.

(a) *Cont. Eunom.*
(b) *Dialog. de Incarn.*
(c) *Ep. ad Cajum.*
(d) *Lib. 4. in Jo. cap. 14.*

Ad II. ℟. Patres dixiſſe quidem Chriſti humanitatem inſtrumentum divinitatis, ſed inſtrumentum animatum & liberum, quod licet primario moveretur a Verbo, ſe tamen & ipſum movebat, eo proportionaliter modo, quo cum Deus Sanctos adhibuit ad patranda miracula, ipſis quidem uſus eſt ut inſtrumentis, ſed ut inſtrumentis animatis & liberis, adeoque habentibus operationem diſtinctam ab operatione Dei: & eo etiam modo, inquit S. Thomas, quo ſervus eſt inſtrumentum Domini, quo ſcilicet libere operante utitur ipſe Dominus ad effectum producendum.

Ad III. Ut reſpondeatur, noto triplices eſſe operationes Chriſti, alias pure divinas, alias pure humanas, alias mixtas, quæ etiam appellantur *Theandricæ*. Vocatio E. G. Magorum ad præſepe per ſtellam fuit operatio pure divina, quia Chriſtus ſolum ut Deus ſtellam produxit, qua Magi vocarentur: manducatio, paſſio &c. fuerunt operationes mere humanæ, quia Chriſtus ſolum ut homo manducavit, & paſſus eſt: curatio ægrotorum per contactum corporis Chriſti erat operatio theandrica, cum & ut Deus, & ut homo Chriſtus hanc curationem perficeret. His poſitis dico quamlibet operationem theandricam Chriſti aliquo recto ſenſu dici potuiſſe *unam*, quatenus licet quaſi componeretur a duabus operationibus nedum phyſice, ſed etiam moraliter diſtinctis, adhuc hæ ad unum finem dirigebantur, & unam integrabant operationem totalem; eo proportionaliter modo, quo una dicitur ſententia data a pluribus judicibus, quorum ſinguli proprio libero ſuffragio ad illam concurrunt. Hoc tantum ſenſu Patres dicunt unam Chriſti operationem. Addo ad abundantiam in textu S. Dyoniſii non dici *unam*, ſed *novam* operationem, quia revera operationes theandricæ novæ fuerunt, ſcilicet habitæ ſolum poſt incarnationem. Fraus Monothelitarum, qui pro *novam* ſubſtituerant *unam*, detecta eſt in Concilio Lateranenſi ſub Martino I.

Obj. ex ratione I. pro unica voluntate. Volens in Christo unum erat. Ergo una quoque voluntas.

II. Pro unica operatione. Natura humana in Christo non subsistebat, cum subsistentia esset totius divinitatis. Ergo propriam non habebat operationem, alias ipsa quoque subſtitisset.

Ad I. ℟. Negando consequentiam; si enim ex unicitate volentis inferretur unicitas voluntatum, etiam ex multiplicitate volentium inferretur voluntatum multiplicitas: quod tamen falsum esse patet exemplo Trinitatis, in qua triplex est volens, sed una voluntas. Directe dico unitatem volentis desumi ab unitate suppositi, unitatem vero voluntatis ab unitate naturæ. Potest autem stare unitas suppositi absque unitate naturæ. Ergo &c.

Ad II. ℟. Pariter negando consequentiam; poterat enim humanitas propriam habere operationem, licet propriam non haberet subsistentiam, cum unitas operationis non ex unicitate subsistentis, sed ex unicitate tantum naturæ sit repetenda, sicuti de facto repetitur in Deo, in quo quælibet operatio trium Personarum ad extra est unica, quia unica est natura divina, licet sint tria supposita operantia. Cum ergo in Christo duplex esset natura, licet unum suppositum, duplex pariter erat operatio: unde quod natura humana in illo non subsisteret, solum efficiebat, quod ipsi ultimate non deberent tribui operationes, sed Verbo, non autem quod ipsa proprias operationes non operaretur.

ARTICULUS TERTIUS.

Agendum remanet de communicatione idiomatum, quæ est unum ex præcipuis consectariis unionis hypostaticæ.

Communicatio ergo idiomatum nihil est aliud, quam attributio utriusque naturæ divinæ & humanæ, & proprietatum, quæ iisdem naturis con-

conveniunt, eidem Christi personæ; *idioma* enim græce significat proprietatem.

Hæc idiomatum communicatio sequitur ex unione substantiali inter divinam Christi personam, & humanitatem; si enim habetur hæc unio, de Deo Christo prædicari poterunt proprietates humanæ naturæ, dicendo E. G. Deus est passibilis, & mortalis &c. & vicissim de homine Christo prædicari poterunt proprietates divinæ naturæ, dicendo E. G.: hic homo est omnipotens, æternus &c.

Porro non fundatur hæc idiomatum communicatio in communicatione proprietatum naturæ divinæ facta humanitati, ut supra dixi contendere aliquos Lutheranos, qui idcirco volunt inter cætera ipsi communicatam fuisse immensitatem. Quoniam autem hi speciatim de immensitate loquuntur, juvat modo specialiter ostendere ipsam non fuisse communicatam humanitati Christi, quod si probatum erit, probatum quoque remanebit futilem esse prætensam communicationem proprietatum divinitatis humanitati. Sit ergo

Assertio. *Non est communicata immensitas humanitati Christi.*

Prob. ex Scripturis. Hæ de Christo (certe qua homine) dicunt eum non fuisse ubique. Ita Christus ait (a): *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis quia non eram ibi*, & supra (b): *Cum vidisset turba, quia Jesus non esset ibi*. His addantur omnia loca, quibus dicitur Christus conceptus, natus, de loco ad locum transiisse &c.; quæ omnia supponunt in aliquo loco Christi humanitatem non fuisse, & quibus non occurritur sufficienter ab adversariis dicentibus per illa non denotari nisi, quod Christus non fuerit in omnibus locis sensibiliter; nam cum res

(a) Jo. 11. (b) Jo. 6.

res est realiter in aliquo loco, quamvis ibi non sit sensibiliter, non potest simpliciter asseri ibi eam non esse. Si ergo simpliciter asserunt Scripturæ Christi humanitatem alicubi non fuisse, asserunt consequenter ibi non fuisse realiter.

Prob. ex Patribus. Augustinus inquit (*a*): *Una persona Deus & homo est, & utrumque unus Christus, ubique per id, quod Deus est, in cœlo autem per id, quod est homo:* Cyrillus Alexandrinus inquit (*b*): *Cum Deus & homo Christus sit vere, oportuit Apostolos intellexisse ineffabili Dei potestate una cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset.* Leo Magnus inquit (*c*): *Ineffabili modo* per ascensionem *cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.*

Obj. ex Scripturis. I. Ibi dicitur Christum ut hominem esse *ad dexteram Dei* exaltatum (*d*): dextera autem Dei est ubique. Ergo etiam ut homo Christus est ubique.

II. humanitati Christi communicata est omnipotentia juxta illud (*e*): *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Ergo etiam immensitas, cum non sit major ratio pro una, quam pro altera.

III. de Christo dicitur (*f*): *Ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia.* His autem communicatio immensitatis humanitati Christi aperte adstruitur. Ergo &c.

Ad I. ℞. retorquendo argumentum. In Scripturis dicitur (*g*): *Justorum animæ in manu Dei sunt.* Manus Dei est ubique. Ergo etiam justorum animæ. Hoc non valet. Ergo nec primum.

℞. se-

(a) *Ep.* 187. *al.* 57. *ad Dardan. cap.* 3.
(b) *Lib.* 12. *in Jo. cap.* 21.
(c) *Ser.* 2. *de Ascens. cap.* 3.
(d) *Matt.* 26. (e) *Matt. ult.*
(f) *Ephes.* 4. (g) *Sap.* 3.

℟. secundo directe illud *sedere ad dexteram* non esse intelligendum materialiter, sed metaphorice, ita ut sit sensus hominem Christum ratione suppositi fuisse elevatum ad æqualitatem honoris & potestatis cum Patre; hæc enim æqualitas indicatur per phrasim *sedere ad dexteram*, juxta illud (*a*): *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis*. Et de facto tum Christus ipse (*b*), tum Apostolus (*c*) ex sessione Christi ad dexteram Patris eruunt ejusdem divinitatem. Dixi *ratione suppositi &c.*; idest humanitas Christi non est elevata, ut in se esset æqualis Patri, sed ut esset humanitas illius suppositi, quod Patri est æquale. Ergo &c.

Ad II. ℟. verbis adductis non significari collatam esse Christi humanitati omnipotentiam, sed solum ipsum ut hominem fuisse constitutum caput totius Ecclesiæ, adeoque posse in illa exercere supremam potestatem. Quod si velis per illa verba significari communicatam omnipotentiam humanitati, dicam illam solum communicatam eo sensu, quo communicatam dixi æqualitatem cum Deo.

Ad III. ℟. textum posse intelligi, vel ita ut Christus impleret omnia vaticinia, quæ de ipso erant, vel ita ut impleret successive omnia loca, quatenus scilicet sicuti fuerat in terra, in mari, in aere, & in inferno, solum cœlum remanebat, in quod penetraret, ut dici posset humanitatem Christi omnia loca perlustrasse: vel ut impleret donis suis Apostolos & fideles, quod indicare videtur contextus, ubi de diffusione donorum fit sermo.

Obj. ex Patribus. S. Hieronymus (*d*) Marcellæ, quæ ab eo quæsierat, an Christi humanitas 40. diebus, qui a resurrectione ad ascensionem

---

(a) *Psalm.* 109. (b) *Matt.* 22. (c) *Heb.* 1.
(d) *Ep.* 59 *al.* 148. *ad Marcellam*.

nem fluxerunt, fuerit in terra, an vero latenter aliquoties ascenderit in cœlum, & postea de cœlo descenderit, respondit opus non fuisse Filio Dei sæpius ascendere, & descendere, cum semper sit ubique. Ubi, ut patet, adstruit ubiquitatem in Christi humanitate, de qua fuerat interrogatus. Ergo &c.

℞ Hieronymum adstruere ubiquitatem Filii Dei solum quoad divinitatem. Id ostendit contextus: *Stultum est*, inquit, *illius potentiam unius corpusculi paritate finiri, quem non capit cœlum, & tamen qui ubique erat, etiam in filio hominis totus erat, divina quippe natura &* Dei *sermo in partes secari non potest, nec locis dividi, sed cum ubique sit, totus ubique est*. Ubi etiam patet ex Hieronymo latius patere divinitatem, quam humanitatem: hæc igitur non est immensa. Quod si instes quæstionem propositam a Marcella fuisse circa humanitatem, non circa divinitatem Christi, dico cum Bellarmino illud esse certum, quod S. Hieronymus circa divinitatem respondit, nec est incredibile quod Marcella dubium moverit etiam circa divinitatem; nam etiam Augustino fuit a Volusiano (*a*) similis quæstio proposita, an scilicet Verbum Dei cœlum reliquisset, & intra unius corpusculi angustias se redegisset.

Obj. ex ratione. Per incarnationem sunt unitæ arctissimo nexu Verbum & humanitas. Ergo ubicumque est Verbum, debet etiam esse humanitas, alias separarentur. Verbum autem est ubique. Ergo etiam humanitas.

℞. unionem inter humanitatem Christi, & divinam personam solum importare, quod ubicumque est humanitas, ibi sit unita personæ Verbi, non quod, sicut hæc persona est ubique, sit

(a) *Ep. ad Volusian.* 137. *ol.* 3.

sit etiam ubique humanitas. Cum enim sunt unita inter se duo, quorum unum alterum excedit, patet alicubi unum ex his esse debere, ubi alterum non est, alioquin non se excederent. Exemplo sit oculus in homine; oculus enim certe unitus est animæ, & tamen ex hoc sequitur quidem, quod est ubi oculus, ibi sit anima, non quod ubicumque est anima, ibi necessario sit oculus, & de facto anima est in pede, ubi non est oculus.

Postquam vidimus & in quo fundetur communicatio idiomatum, & in quo non fundetur, remanent indicandæ principaliores regulæ, quibus exprimatur hæc communicatio, sive quibus fiat prædicatio utriusque naturæ ac proprietatum illarum de Christo, quæ ex idiomatum communicatione resultat. Hæ autem regulæ sunt.

I. Nomina concreta significantia vel naturam divinam, vel proprietatem personalem secundæ Personæ, vel naturam humanam, vel alterutrius naturæ proprietates possunt prædicari de persona Christi. Potest ergo dici: *Christus aut Verbum, aut hic* (designando Christum) *est Deus, est omnipotens, est genitus a Patre, est homo, est mortalis, est passibilis &c.* Ratio est, quia persona Christi est secunda Trinitatis Persona, & habet sibi conjunctam utramque naturam, & consequenter utriusque naturæ proprietates.

II. nomina abstracta significantia naturam divinam, vel ejusdem proprietates, vel proprietates personales secundæ Personæ possunt prædicari de persona Christi; de facto enim cum illa identificantur, sicque dici potest: *Christus est divinitas, est omnipotentia, est sapientia genita &c.* & hinc ipse dicebat (*a*): *Ego sum via, veritas,* *&*

(a) Jo. 14.

& vita. E contra nullum nomen abstractum significans vel aliquam proprietatem personalem alterius personæ a secunda, vel naturam humanam, vel aliquam istius proprietatem potest de eadem Christi persona prædicari; cum hac enim nec proprietates aliarum personarum, nec humanitas, nec illius proprietates sunt identificatæ, sicque dici non potest: *Christus est omnipotentia improducta, est humanitas, est mortalitas, &c.*

III. de Christi persona nihil potest prædicari, quod aut neget personam divinam, aut directe importet personam humanam; nam ex dictis in Christo est tantum divina personalitas. Hinc dici nequit: *Christus est purus homo, Christus est alius a Deo &c.*

IV. si Christus consideretur ut Deus, nequeunt de illo prædicari nisi quæ significant naturam divinam, vel illius proprietates, si ut homo, nequeunt de illo prædicari nisi quæ significant naturam humanam, aut illius proprietates; non enim humana natura, & illius proprietates conveniunt Christo ut Deus est, aut natura divina illiusque proprietates conveniunt Christo ut homo est. Hinc dici nequit: *Christus ut Deus est passibilis, est mortalis*: aut *Christus ut homo est omnipotens, æternus &c.*

V. de una natura in Christo nequeunt prædicari aut altera natura, aut quæ alteri naturæ competunt. Ratio est, quia illæ naturæ non sunt identificatæ. Dici ergo non potest: *Deitas est humanitas, deitas est mortua &c.*

Summopere vero cavendum est, ne sine sufficiente cautela & explicatione asserantur propositiones vel suspectæ, vel affines erroribus Hæreticorum, ut esset hæc: *Christus est creatura*, quæ, ut supra dixi, in recto sensu explicata est verissima, sed tamen vitari debet ob connexionem, quam habet cum errore Nestoriano.

Advertendum etiam aliquando Patres de hoc mysterio loquentes non scholastico, sed potius oratorio more esse locutos, adeoque aliquando vi-

videri non stetisse regulis indicatis: sed verbis ab illis discrepant, non sensu, quod patebit & ex scopo ipsorum, & ex contextu, & ex aliis similibus circumstantiis. Sano igitur sensu sunt intelligendi & explicandi.

Hic etiam placet cum S. Thoma aliquas propositiones afferre & examinare pertinentes ad mysterium incarnationis, & quarum veritas vel falsitas ex hucusque dictis est deducenda: hæ autem sunt prima: *Deus factus est homo*: secunda: *Homo factus est Deus*: tertia: *Christus juxta quod est homo est Deus*: quarta; *Christus juxta quod est homo est persona*.

Prima ergo est verissima, & continetur in Scriptura; nam dicitur (a): *Verbum caro factum est*: secunda, nisi explicetur, est falsa; nam illud quod fit alterum, debet alteri præexistere. Atqui humanitas Deitati non præextitit. Ergo &c.: tertia potest habere duplicem sensum, nimirum reduplicatio potest cadere tum supra humanitatem, tum supra illius suppositum: primo modo est falsa, secundo vera. Cum tamen, inquit S. Thomas, reduplicatio magis proprie cadat supra naturam, quam supra suppositum, ideo potius rejicienda est, quam admittenda propositio: quarta tandem, si reduplicatio cadat supra naturam humanam, est falsa, si supra illius suppositum, est vera; hoc enim suppositum est tandem ipsa Filii persona.

DIS-

(a) Jo. 1.

DISSERTATIO IV.

De dignitatibus & officiis Christo competentibus.

PLures sunt dignitates, plura officia Christo competentia. Quænam ea sint, facile ex hucusque dictis erui potest: de principalioribus hic agendum. Dissertationem itaque in tria capita divido. In 1. agam de officio mediatoris, ubi etiam de redemptione hominum a Christo peracta, ac de ejus satisfactione & merito: in 2. de Sacerdotio & oratione Christi: in 3. de regia Christi dignitate ac dignitate capitis, nec non de illius potentia.

CAPUT PRIMUM.

De officio mediatoris, ubi etiam de redemptione, satisfactione, ac merito Christi.

EXplicabo hic 1. quæ in genere spectant ad officium mediatoris: 2. quæ peculiariter spectant ad redemptionem hominum per Christum factam, ac satisfactionem ab ipso pro iisdem Deo exhibitam: 3. quæ spectant ad Christi meritum.

ARTICULUS PRIMUS.

Mediator, ut inquit Bellarminus, dicitur qui inter dissidentes, vel saltem non conjunctos, medium se interponit, ut eos redigat ad concordiam, vel novo fœdere jungat. Quod dupliciter fieri potest, per substantiam & per operationem. Prior mediatio in hoc consistit, quod plura a se

se invicem realiter & substantialiter distantia realiter & substantialiter conjungat: altera in hoc, quod plures personas a se invicem moraliter separatas, scilicet vel positive discordes, vel saltem non concordes ad concordiam revocet.

Priorem mediationem Christo competere suppono ex dictis; nam supra probavi utramque ab ipso fuisse in una persona conjunctam naturam divinam, & humanam. De altera hic agendum, quæ quidem quadrupliciter ex eodem Bellarmino haberi potest: primo discernendo & judicando causam, quo modo arbitri dici possunt mediatores: secundo referendo hinc inde pacta, & conditiones utriusque partis, quomodo possunt dici mediatores omnes internuncii: tertio rogando unam partem pro altera; quarto solvendo & satisfaciendo uni parti pro altera.

Omnibus his modis Christus dici potest mediator; nam primo ipse arbiter fuit pacis Deum inter & homines, quia modum invenit hos reconciliandi cum Deo: secundo ipse conditiones hujus pacis hominibus retulit, manifestando voluntatem Patris in ordine ad illam; tertio ipse pro hominibus Patrem oravit, ut inferius ex professo ostendam; quarto pro peccatis hominum vere Patri satisfecit, adeoque illos a Dœmonis servitute redemit, & Patri reconciliavit. Priores tres modi mediationis non soli Christo competunt, quartus convenit ipsi soli, & ideo Apostolus ait (a): *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Priores itidem tres modi ab omnibus in Christo admittuntur. De quarto Catholicos inter & Hæreticos est quæstio, quam infra expendam.

In-

(a) 1. Tim. 2.

Interim noto maxime circa quartum mediationis modum Christum non esse mediatorem præcise secundum naturam divinam ; nam omissis aliis non erat secundum hanc persona media inter offensum & offendentem (ex quo patet errasse aliquos ex veteribus, qui putarunt Verbum etiam ante incarnationem exercuisse officium mediatoris inter Deum & homines): nec fuit mediator præcise secundum naturam humanam, ut docuit 16. sæculo Franciscus Stancarus Lutheranus; nam juxta hanc præcise non potuisset præstare quæ ad veram & propriam mediationem requiruntur, ut redimere homines, pro illis satisfacere &c.: sed fuit mediator juxta humanam naturam suppositatam a persona divina, ita ut persona divina fuerit principium mediationis *quod*, natura humana principium *quo*, quatenus opera mediationis peregerit natura humana, dignificaverit persona divina. Ita explicata mediatione Christi salvantur salvanda, scilicet salvatur humilitas operationum, quibus mediatio continebatur, eas tribuendo humanitati ut efficienti: salvatur illarum dignitas & valor eas tribuendo divinæ personæ ut dignificanti. Ergo &c.

Quod si dicas hoc admisso sequi, quod Christus fuerit etiam sui ipsius mediator, ℟. nullum esse in hoc absurdum; nam non fuit mediator sui ipsius considerati juxta eundem respectum, juxta quem erat offensus, sed juxta diversum: ipse scilicet ut suppositum humanitatis fuit mediator sui ipsius ut subsistentis in natura divina, juxta quem respectum fuerat offensus.

ARTICULUS SECUNDUS.

Sed jam ad pertractanda quæ satisfactionem Christi spectant (ex quibus melius explicabuntur quæ circa quartum modum mediationis supra sunt dicta) proprius accedendum.

Noto

Noto itaque Socinianos negare Christum pro nobis vere Patri satisfecisse, adeoque vere solvisse pretium pro nostra redemptione & salute. Contendunt proinde Christum pro nobis satisfecisse solum improprie, quatenus perfecte omnia peregit, quæ in ordine ad nos ipsi fuerunt imposita, & erant ut nos præconio, consilio, & exemplo in viam salutis reduceret, & etiam ut moreretur pro nobis, idest pro nostra utilitate exhibendo nobis per mortem suam exemplum patientiæ, & humilitatis: sed negant ipsum mortuum fuisse, ut per mortem lueret pœnas peccatis nostris debitas, & exhiberet pretium redemptionis nostræ Patri, volentes Deum gratis omnino, & ex pura misericordia liberasse nos a peccato. Hinc non renuunt appellare Christum redemptorem hominum, sed volunt ipsum talem esse solum improprie. E contra docent Catholici homines vere & proprie fuisse redemptos a Christo, idest ipsum luisse pœnas peccatis hominum debitas horum vice, ac Deum talem satisfactionem acceptasse, ex quo sequitur ipsum vere & proprie hominum redemptorem dici debere. Sit ergo

Assertio. *Christus vere & proprie pro peccatis hominum satisfecit, adeoque vere & proprie hominum redemptor dici debet*. Est de fide.

Prob. ex Scriptura. I. ibi dicitur (*a*): *Filius hominis venit . . . . dare animam suam redemptionem pro multis:* rursus; (*b*) *Empti estis pretio magno*, & alibi: (*c*) *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: denique (*d*): *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi:* ex quibus sic.

Chri-

(a) *Matt.* 20. (b) 1. *Cor.* 6.
(c) 1. *Tim.* 2. (d) 1. *Pet.* 1.

Christus allatis locis dicitur redemisse nos soluto pretio sanguinis sui. Ergo vere pro nostris peccatis satisfecit, & redemit non redemptione stricte tali; nulla enim nisi hæc redemptio & satisfactio importat solutionem pretii. Secundo Scriptura docet Deum contentum fuisse, ut pœnas peccatis nostris debitas Christus lueret, & ipsum Christum de facto luisse. Ergo hic pro nobis vere satisfecit. Consequentia patet; nam ad veram satisfactionem nihil præterea requiritur. Antecedens quoad primam partem prob. ex illo (*a*) *Posuit Dominus in eo* (Christo) *iniquitatem omnium nostrum*, quod cum de reatu culpæ nequeat intelligi, intelligendum est de reatu pœnæ: & ex alio (*b*): *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: rursus (*c*): *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*. Quoad secundam vero partem prob. ex illo (*d*): *Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, livore ejus sanati sumus . . . propter scelus populi mei percussi eum*. Rursus ex illo (*e*): *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: maledictus omnis qui pendet in ligno*: & tandem ex illo (*f*): *Nunc in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi; ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum & medium parietem maceriæ solvens inimicitias in carne sua . . ut . . reconciliet ambos in uno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in semetipso*. Ergo &c.

(a) *Isai.* 53. (b) *Rom* 8
(c) 2. *Cor.* 5. (d) *Isai.* 53.
(e) *Galat.* 3. (f) *Ephes.* 2.

Prob. ex Patribus. S. Justinus de æterno Patre ait (*a*): *Proprium ipse Filium pretium redemptionis pro nobis dedit . . . o dulcem permutationem!* Origenes ait (*b*): *Homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua, Deus autem pro animabus omnium dedit commutationem pretiosum sanguinem Filii sui; nec enim empti sumus corruptibili argento, vel auro, sed pretioso sanguine agni immaculati.* S. Basilius inquit (*c*): *Inventum unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus & omni pretio superior pretiosus sanguis . . . . . Christi, quem pro nobis omnibus effudit, quamobrem pretio sumus empti.* S. Hieronymus (*d*): *Quod nos debebamus pro nostris sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem crucis suæ sive quæ in terra, sive quæ in cœlis sunt.* S. Ambrosius (*e*): *Dominus . . . magno pretio nos redemit, sicut S. Apostolus dixit: empti enim estis pretio magno, & bene magno, quod non æstimatur ære, sed sanguine, quia pro nobis mortuus est Christus, qui pretioso nos sanguine liberavit.* S. Augustinus (*f*): *Tenebantur homines captivi sub diabolo, & dæmonibus serviebant, sed redempti sunt a captivitate, vendere se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, emit orbem terrarum. Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit: sanguis Christi pretium est Tanti quid valet? quid nisi totus orbis, quid nisi omnes gentes?* Ergo &c.

Obj.

(a) *Ep. ad Diomet.*
(b) *In cap.* 16. *Matt.* (c) I*n Psal.* 48.
(d) *In cap.* 53. *Isai. v.* 5. *&* 6.
(e) *Lib* 7. *in Luc. n.* 117.
(f) I*n Psal:* 95. *n.* 5.

Obj. ex Scripturis. I. Idem est sensus cæterorum locorum Scripturæ, quæ adducuntur pro satisfactione Christi, ac illius (*a*): *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Atqui ibidem non fit sermo de ablatione peccatorum per satisfactionem, sed solum de ablatione infirmitatum corporalium, ut patet ex Matthæo (*b*) locum illum ad infirmitates corporales transferente. Ergo &c.

II. Figuræ, quæ in veteri Testamento habentur redemptionis hominum, indicant hanc esse tantum metaphoricam, nec importare veram satisfactionem a Christo Patri pro nobis exhibitam. Nam fuerunt figuræ hujus redemptionis tum liberatio Israelitarum ab Ægypto, in qua tamen nec ulla satisfactio, nec ullum pretium oblata sunt cuiquam: tum hircus emissarius, de quo dicitur (*c*) quod Sacerdos omnia peccata populi super illum transferebat, & deinde ipsum emittebat in desertum, quo illa asportabat, nec tamen hic aut pretii aut satisfactionis habetur vestigium: tum sacrificia veteris legis, quæ tamen non continebant aut satisfactionem, aut pretium rigorose talia pro peccatis. Ergo &c.

III. Docet Scriptura aliquid defuisse passioni Christi; nam Apostolus ait (*d*): *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea*. Ergo hæc non fuit pretium adæquatum pro redemptione hominum.

IV. Si Christus pro nobis satisfecisset, id maxime quia in cruce seipsum ut Pontifex obtulit Deo in sacrificium. Hoc non; nam Christus Pontifex non est factus nisi post mortem, ut constat ex Apostolo dicente (*e*) Christum debuisse per omnia fratribus ut suis assimilari

O 2 ut

(a) *Isai.* 53. (b) *Cap.* 8.
(c) *Levit.* 16. (d) *Coloss.* 1.
(e) *Heb.* 2.

ut pontifex fieret. Ex quo patet ipsum non fuisse factum Pontificem, nisi postquam per omnia fratribus est assimilatus, adeoque etiam per mortem, & infra dicitur (*a*): *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te*: quod de resurrectione dictum esse constat ex actis Apostolorum (*b*): rursus (*c*): *Talis decebat, ut nobis esset Ponsifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, & excelsior cœlis factus*, quæ posteriora verba indicant Christum non fuisse Pontificem nisi post ascensionem: & tandem infra dicitur expresse (*d*): *Si esset super terram, non esset Sacerdos*. Ergo &c.

V. Scripturæ assignant alium finem mortis Christi præter redemptionem hominum, nempe exemplum nobis præbendum. Ita dicitur (*e*): *Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*. Ergo &c.

VI. Ita Deus nobis remittit peccata per Christum, ut nos debemus fratribus injurias remittere dicente Apostolo (*f*): *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & Deus in Christo donavit vobis*. Atqui nos debemus fratribus ignoscere nullam ab eis exigendo satisfactionem. Ergo a pari &c.

VII. Est injustum, adeoque Deo impossibile, quod puniatur innocens pro nocente; dicitur enim (*g*): *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur*: & alibi (*h*): *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*. Ergo Christus non potuit luere pœnas debitas peccatis nostris.

VIII.

(a) *Cap*. 5. (b) *Act*. 13.
(c) *Heb*. 7. (d) *Cap*. 8.
(e) 1. *Pet*. 2. (f) *Ephes*. 4.
(g) *Deut*. 24. (h) *Ezech*. 18.

VIII. Scripturæ docent Deum nobis gratis remisisse peccatum (*a*): *Justificati gratis per gratiam ipsius*. Ergo non sumus redempti per solutionem pretii.

Ad I. ℞. Isaiam loqui de curatione peccatorum facienda per hoc, quod Christus in se susciperet ipsorum pœnas. Ideo autem Matthæus locum Isaiæ transtulit ad curationem infirmitatum corporalium, vel quia locus hic habet duplicem sensum, ita ut loquatur tum de morbis animi, tum de morbis corporis auferendis per Christum, vel quia curatio morborum corporalium erat directa ad significandam curationem spiritualium, quæ per Isaiam expressa erat.

Ad II. ℞. figuras adductas in aliquibus tantum, non in omnibus expressisse figuratum. Aliqualis autem hæc similitudo in casu reperitur; nam ut Israelitæ de captivitate Ægypti, ita homines per Christum fuerunt liberati a captivitate dæmonis: ut hircus emissarius abjiciebatur in desertum ab omnibus maledictus, quasi ipse peccasset, cum tamen revera non peccasset, sic Christus innocens punitus est quasi esset peccator, ad quam rem Tertullianus ait: (*b*) *Circumdatus coccino, maledictus, & consputatus, & convulsus, & compunctus a populo extra civitatem abjiciebatur in perditionem* (hircus) *manifestis notatus insignibus dominicæ passionis*: ut sacrificia veteris legis mundabant extrinsece homines a peccatis, ita mors Christi eos mundat, quamvis intrinsece. Ergo &c. Adde specialiter circa liberationem Israelitarum ex Ægypto illam non dici peractam per solutionem pretii, ut dicitur hominum redemptio per Christum.

Ad III. ℞. nusquam Scripturam negare satisfactionem Christi fuisse sufficientem; quomodo

---

(a) *Rom.* 3.
(b) *Lib.* 3 *in Marcionem cap.* 7.

do enim insufficientem diceret satisfactionem, quæ utpote proveniens a persona divina (adeoque infinitæ dignitatis) & passive humiliata, & active humiliante se, erat infiniti valoris, adeo ut quælibet etsi minima actio satisfactoria Christi esset valoris maximi, qui haberi possit (subintellige saltem personalis; nam quoad valorem objectivum actionum Christi, poterat dari magis & minus)? Imo satisfactiones Christi fuerunt superabundantes, utpote excedentes quodcumque debitum ortum ex peccato, quod & docet Scriptura, dum ait: (*a*) *Non sicut delictum, ita & donum; si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit:* rursus: (*b*) *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*: & tenet ecclesia, præsertim cum Clemens VI. (*c*) docuerit unam guttam sanguinis Christi suffecisse ad redemptionem totius mundi, & relictum esse in ecclesia thesaurum satisfactionum & meritorum Christi nunquam exauriendum: & tandem suadet ratio; nam est quid infinite majus moraliter humiliatio effectiva & depressio personæ divinæ, quæ includitur in satisfactione Christi, depressione effectiva tantum, quæ includitur in peccato. Triplex ergo textui Apostoli responsio adhiberi potest salva sufficientia, imo superabundantia satisfactionis Christi: primo intelligendo per *passionem Christi* quod revera ille passus est, & tunc sensus est Apostolum passum fuisse, ut sibi applicaret fructum passionis Christi, & hoc quia Christus voluit, ut valor passionis suæ cæteroquin sufficientissimæ ad satisfaciendum pro hominibus iisdem non applicaretur, nisi mediantibus passionibus illorum: quo posito patet pas-

---

(a) *Rom.* 5. (b) *Ibid.*
(c) *Extravag.* Unigenitus *de pœnit. & remiss.*

passiones Apostoli complevisse quod deerat passionibus Christi non quantum ad sufficientiam, sed quantum ad applicationem: secundo intelligendo per *passiones Christi* passiones similes passioni Christi, & toleratas ad imitationem ejusdem, quas Deus singulis destinavit: & tunc sensus est Apostolum passum fuisse, ut non deesset oneri, quod habebat, patiendi propter Christum: tertio intelligendo *per passiones Christi* passiones, quas Christus suffert in membris Ecclesiæ suæ, & quas etiam Apostolo utpote membro Ecclesiæ destinaverat Deus: & tunc sensus est Apostolum passum fuisse, ut partem suam impleret sustinendi passiones, quas Christus in ipso utpote membro Ecclesiæ suæ ferre debebat.

Ad IV. ℟. Christum fuisse Sacerdotem & Pontificem etiam ante mortem; nam mors ipsius fuit sacrificium ab ipso oblatum, quo mundum sanctificavit, ut docet Apostolus inquiens (*a*): *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*. Hanc autem oblationem factam fuisse per passionem & mortem constat ex quo asserat idem Apostolus (*b*) Christum, si sæpius sacrificium obtulisset, sæpius etiam debuisse pati, ubi supponit sacrificium peractum in passione & morte. Nec obstant quæ contra afferuntur; nam locis adductis nulla est mentio de tempore, quo Christus factus est Pontifex, sed primo loco solum contendit Apostolus debuisse a Christo assumi naturam, & infirmitates humanas: naturam ut pro nobis offerret sacrificium vitæ suæ: infirmitates, ut infirmitatibus nostris compateretur, quod ad munus optimi pastoris requirebatur, & ita se explicat idem Apostolus tum antecedenter, dum ait (*c*): *Quia pueri communicaverunt carni &*

(a) *Heb.* 10: (b) *Cap. antec.*
(c) *v.* 14.

& ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit iiſdem, ut per mortem deſtrueret eum, qui mortis habebat imperium, tum eodem loco in objectione adducto, ubi ait: *Debuit per omnia fratribus aſſimilari, ut miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum*. Secundo loco contendit Chriſtum fuiſſe conſtitutum pontificem a Patre, qui ipſum ut filium declaravit, quod & nos concedimus. At etſi fuiſſet conſtitutus Pontifex ſolum cum declaratus eſt Filius, fuiſſet conſtitutus ante mortem, nam cum baptizatus eſt in Jordane, & transfiguratus in Thabor, audita eſt vox Patris ipſum ut Filium declarantis: hujus porro filiationis ulterior declaratio habita eſt in reſurrectione Chriſti, cum ipſi gloria completa Filio Dei proportionata eſt communicata, quod eſt ratio cur in actis Apoſtolorum talis declaratio dicatur facta in reſurrectione, ſed, ut patet, non excluſive ad alias declarationes anteriores. Tertio loco vel tantum vult Apoſtolus Chriſtum eſſe nobiliorem omnibus creaturis, vel vult tunc, cum loquebatur, ipſum in Cœlum jam aſcendiſſe, vel vult debuiſſe Chriſtum ad cœlum tandem aſcendere, ut compleret ſacrificium pro nobis in cruce oblatum, ſuas etiam preces pro nobis jugiter offerendo in cœlo æterno Patri, ad inſtar Pontificis antiquæ legis, qui prius mactabat victimam extra ſancta ſanctorum, deinde in ſancta ſanctorum deferebat ejuſdem victimæ ſanguinem: ex quibus patet quo ſenſu dicantur poſteriora verba a Paulo; ſi enim Chriſtus non fuiſſet mortuus, nec fuiſſet, ut ita dicam, in actu ſecundo Sacerdos; nam nec victimam mactaſſet, nec ſanguinem modo explicato in ſancta ſanctorum intuliſſet. Addo aliquos explicare illa verba eadem referendo ad victimam hoc modo: ſi victima offerenda eſſet terrena, ſuffeciſſent ad illam offerendam Levitæ Moſaici, adeoque opus non fuiſſet ut Chriſtus eſſet Sacerdos. Ergo &c.

Ad V. ℟. Uno fine alium non excludi. Etſi ergo paſſus ſit Chriſtus ad exemplum noſtrum,

inde

inde non tollitur quod passus etiam fuerit ad satisfaciendum pro nobis.

Ad VI. ℟. Verbis Chrysostomi, qui in illud: *Sicut Deus in Christo donavit nobis*, hæc habet: (*a*) *Hoc magnum habet enigma: non simpliciter inquit: sine periculo nobis donavit, sed cum periculo Filii: ut tibi ignosceret, sacrificavit Filium: tu autem sæpe videns condonationem & sine periculo, & sine sumpto, non facis*: ubi Chrysostomus vult ita Apostolum argumentari: si Deus ut tibi ignosceret mactavit Filium suum, a fortiori tu, qui nihil ignoscendo deperdis, debes ignoscere fratri tuo. Hac expositione admissa stat veritas satisfactionis Christi. Ergo &c.

Ad VII. ℟. Non esse injustum ut innocens puniatur pro reo, cum pro hoc ille vadem se & sponsorem constituit; tunc enim onera in se transtulit rei. Textus adducti loquuntur de eo, quod ordinarie accidit, & præscindunt a casu extraordinario. Ut interim omittam, quod aliquando punitur innocens pro reo, ut constat ex illo (*b*): *Deus . . . . visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*: & ex alio: (*c*) *Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus*.

Ad VIII. ℟. Stare, quod Deus nobis gratis remittat peccata, etsi Christus pretium solverit; nam & fuit omnino gratuitum, quod Christus onus susciperet satisfaciendi pro nobis, & est gratuita nobis gratia ex meritis Christi collata, qua ad remissionem peccati pervenimus.

Obj. ex ratione. I. ut Christus satisfecisset pro pœna debita omnibus peccatis, debuisset totidem mortes æternas sustinere, quot peccatis sunt debitæ. Has non sustinuit. Ergo &c.

(a) *Hom.* 17. *in Epist. ad Ephes. n.* 1.
(b) *Exod.* 20. (c) *Thren.* 5.

II. Si Christus pro nobis satisfecisset, illi, quibus est remissum peccatum, non deberent amplius puniri calamitatibus hujus vitæ, puta frigore, fame, siti &c. quæ sunt pœna peccati; nam tunc nec adesset peccatum, ut supponitur, nec adesse deberet illius pœna, pro qua Christus satisfecisset. Contrarium contingit, ut patet omissis aliis in pueris baptizatis. Ergo &c.

III. Illa satisfactio non est sufficiens, quæ, ut acceptetur, indiget liberalitate Dei. Talis fuit satisfactio a Christo exhibita. Ergo &c.

IV. Si Christus satisfecisset pro redemptione nostra, debuisset pretium solvere non Deo, sed Diabolo; hic enim, non Deus, nos detinebat captivos. Hoc non. Ergo &c.

V. Etiam dato, quod Christus pro nobis satisfecerit, non tamen satisfecit ex rigore justitiæ. Ergo vere & condigne non satisfecit, adeoque redemptor noster rigorose talis dici non debet.

Ad I. ℞. Ut Christus pro nobis satisfaceret, suffecisse si pœnam aliquam subiret, quæ moraliter tanta esset, quanta est pœna nobis debita. Hanc autem Christus subiit, licet non subierit infinitas mortes æternas: imo pœna, quam subiit, est ex dignitate personæ illam subeuntis moraliter major, quam quæcumque pœna possibilis omnium creaturarum. Ergo &c.

Ad II. ℞. Christum redemisse quidem homines a pœnis debitis peccato, sed redemptionem hanc, quamdiu homines sunt in vita, ab ipso ita ordinari, ut de facto non tollat omnes pœnalitates; hoc enim exigit & status viatorum, & exercitatio virtutis, quæ in hoc statu adultis est necessaria: sed nobis tandem redemptionem hanc perfecte applicabit, & ab omnibus complete liberabit calamitatibus in alia vita.

Ad III. ℞. Quod etsi potuisset Deus non acceptare satisfactionem Christi, ex hoc non inferretur, quod ipsa non esset sufficiens; nam etiam habens E. G. donum pretii mille aureorum posset

non

non acceptare mille aureos sibi exhibitos pro emptione domus, si nempe nollet eam vendere, & tamen si acceptet, pretium est sufficiens & condignum. Ergo a pari &c. Quod si quæratur, an revera potuerit Deus non acceptare satisfactionem Christi, ℟. potuisse quidem, quatenus potuisset velle, ut ipse homo, & non Christus vice hominis lueret pœnas, sed non potuisse non acceptare, quatenus eam de facto exhibuit Christus jam ad hoc missus, ut illam exhiberet, secus nota mutabilitatis admitteretur in Deo.

Ad IV. ℟. Nos fuisse detentos captivos a diabolo ut ministro Dei, quomodo jussu Principis detinetur captivus a custode carceris, qui Principi est debitor. Ut ergo ad liberandum istum a captivitate pretium est solvendum non custodi carceris, sed Principi, ita a pari in casu.

Ad V. ℟. Divisos esse Theologos circa antecedens: alii illud concedunt, alii negant. Priores ita procedunt. Ad satisfactionem ex rigore justitiæ hæc requiruntur: primo ut sit æquivalens: secundo ut sit ad alterum: tertio ut fiat ex bonis propriis satisfacientis: quarto ut non interveniat ex parte creditoris ulla gratuita remissio. Contendunt autem deesse in casu tum secundam conditionem, quia Christus non est alter a Deo, tum tertiam, quia actiones satisfactoriæ Christi non ita erant propriæ ipsius, ut magis non essent Dei ob summum inabdicabile dominium, quod Deus habet super omnia. Alii è contra illud antecedens negant volentes ne has quidem duas conditiones deesse; nam habetur, inquiunt hi, sufficiens alteritas in hoc fundata; quod Christus satisfecerit ut homo, fuerit autem offensus ut Deus: & erat sufficienter dominus actuum, quibus satisfecit; nam erant ipsi liberi, cum illos ab eodem Deus non exigeret. Utraque sententia est probabilis, sed prima videtur probabilior; nam non videtur sufficere alteritas & dominium, quæ a posterioribus in casu assignantur, ut salvetur rigorosa justitia. Cum prio-

ribus ergo ad objectionem ℟. concesso antecedente negando consequentiam, quia licet satisfactio Christi non fuerit ex rigorosa justitia, fuit tamen condigna & superabundans, cum æquaverit imo superaverit debitum. Quod declaratur exemplo. Habeat Petrus horologium valens centum aureos: si hic det Cajo centum aureos, quibus emat horologium, non habebitur rigorosa justitia, cum, ut supponimus, Cajus emat horologium Petri nummis non propriis, sed ipsius Petri: at pretium hoc erit condignum valori horologii. Ergo a pari proportionaliter in casu. Sed jam de merito Christi.

ARTICULUS TERTIUS.

Circa meritum ergo Christi hæc possunt inquiri: 1. an Christus meruerit: 2. per quid meruerit: 3. quid meruerit: 4. quantus fuerit valor meriti ipsius. De his ex ordine.

Circa primum Christus revera meruit. Hoc certum est de fide, & colligitur ex omnibus iis Scripturæ locis, quibus dicitur Christum pro nobis satisfecisse; operationes enim satisfactoriæ Christi erant etiam meritoriæ, quia nulla iis deerat conditio ad meritum requisita: colligitur etiam ex sensu Ecclesiæ, & ex Tridentino docente (a) Christum esse causam meritoriam nostræ justificationis, ubi, ut patet, supponit ipsum meruisse. Huic autem merito non obstitit in Christo status comprehensoris; nam ut hic non impediebat statum viatoris, ita non impediebat meritum satui viatoris correspondens.

Circa secundum Christus meruit per omnes & solas actiones humanas liberas factas a primo instanti conceptionis usque ad mortem inclusive. Explicatur simul & probatur. Christus meruit per actio-

---

(a) *Sess. 6. cap. 7.*

actiones solum humanas seu factas ab illo ut homo erat; nam per divinas, seu factas ab illo ut erat Deus, incapax erat merendi. Meruit etiam per solas actiones humanas liberas; nam ex alibi dictis libertas est requisitum ad meritum (& hinc per adimpletionem præceptorum, E. G. naturalium non merebatur, quia ad ea implenda non erat liber ratione impeccabilitatis; nisi dicere velimus meruisse per talem impletionem non quoad substantiam, sed solum quoad circumstantias, puta quoad tempus, modum, intensionem &c.; ad has enim erat liber). Rursus meruit per tales actiones solum factas ante mortem; nam post mortem fuit extra statum viatoris, qui de lege ordinaria requiritur ad merendum, a qua lege se non fuisse exemptum ipse indicavit, dum ait (*a*): *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox quando nemo potest, operari*: & quamvis, ut infra probabitur, Christus meruerit per mortem, per illam tamen non meruit, prout importavit primum non esse sui, sed solum prout importavit ultimum esse. Unde cum Patres dicunt e Christi occisi aperto latere fluxisse sacramenta, non innuunt Christum mortuum meruisse Sacramentis vim sanctificandi, sed solum vel ipsum eam vim meruisse per actum, quo talem aperitionem acceptavit, vel per aperitionem lateris Christi, ex quo exivit sanguis & aqua, significata esse sacramenta, & præcipue Eucharistiam significatam per sanguinem, & baptismum significatum per aquam. Per omnes autem dictas actiones meruit, cum non sit cur meritum coarctemus ad unam potius, quam ad aliam. Ubi advertunt Theologi Christum meruisse etiam cum dormiebat, ob usum rationis independentem a phantasmatibus, ac proinde volunt de ipso pecu-

lia-

(a) *Jo.* 9.

liariter verificatum illud (*a*): *Ego dormio, & cor meum vigilat*.

In duobus autem maxime habetur difficultas, in primo scilicet instanti conceptionis Christi, & in morte. Et quidem, ut de primo instanti conceptionis Christi modo loquar, fuit olim sententia Alberti, Alensis, Bonaventuræ, & aliorum Christum in primo conceptionis instanti nec meruisse, nec mereri potuisse, quamvis concesserint ipsum meruisse in secundo instanti, & deinceps. Durandus autem docuit ut probabile Christum nec meruisse toto tempore infantiæ. Sed communissime docent nunc Theologi post S. Thomam, Christum etiam primo instanti conceptionis suæ meruisse, quod probant maxime ex illo, ubi de Christo dicitur (*b*): I*deo ingrediens mundum dicit, hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi . . . tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam:* ubi docet Apostolus, Christum primo conceptionis instanti seipsum Patri obtulisse, quod certe fecit meritorie. Accedit ratio; nam Christus etiam primo conceptionis instanti habuit scientiam infusam, & libertatem, & ob perfectionem intellectus sui habuit deliberationem sufficientem ad merendum: verbo dicam habuit omnia, quæ ad meritum requiruntur. Ergo etiam tunc potuit mereri, & si potuit mereri, certe meruit; nam hoc requirebat ejus sanctitas, dignitas, & exemplum nobis præbendum. In ipso igitur meritum non supposuit esse tempore, sed solum natura, quatenus ut intelligeretur mereri, oportebat ut præintelligeretur esse. Quamvis autem tunc, & deinceps meruerit, ipsius tamen merita non fuerunt Patri ab eodem oblata, nec a Patre acceptata singula seorsim, sed omnia simul ut consum-

(a) *Cantic.* 5. (b) *Heb.* 10.

summata per mortem juxta illud (*a*): *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, Ubi etiam noto sententiam Durandi ab aliquibus. & merito notari ut temerariam, & Christo injuriosam.

Quod spectat ad mortem, certum est de fide Christum per mortem meruisse. Hoc colligitur ex illo (*b*): *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, & ex alio (*c*): *Christus factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltavit illum*. Accedit unanimis fidelium sensus.

At inquies, quomodo meruit Christus, si moriendo obedivit? si enim moriendo obedivit habebat præceptum moriendi, si habebat præceptum, non erat liber, cum esset impeccabilis: si non erat liber, non meruit, cum meritum libertatem supponat.

Respondent communiter Theologi Christum fuisse liberum ad moriendum; hoc enim indicant Scripturæ; ubi de Christo dicitur (*d*): *Oblatus est, quia ipse voluit*: & ubi Christus Petro ait (*e*): *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* & ubi idem ait (*f*) *Nemo tollit eam* (animam) *a me, sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Unde Augustinus inquit (*g*): *Non eam* (carnem) *deseruit invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit*: & Chrysostomus (*h*). *Licebat illi nihil pati, si voluisset . . . erat ergo ei promptum, si voluisset, non venire ad crucem*. Si ergo Christus libere

(a) *Heb.* 10. (b) *Isa* 53.
(c) *Philip.* 2. (d) *Isai.* 53.
(e) *Matt.* 26. (f) *Jo.* 10.
(g) *Lib* 4. *de Trin. cap.* 15.
(h) *Homil.* 28. *in Ep. ad Hebr. n.* 1.

re mortuus est, corruit objectio contra meritum mortis Christi deducta ex carentia libertatis in eadem.

Sed in respondendo difficultati deductæ ex præcepto mortis, quod objicitur, iidem Theologi dividuntur. Alii præceptum illud admittunt, alii negant. Qui admittunt & ipsi dividuntur; alii enim docent Christum habuisse quidem præceptum de morte, sed non de circumstantiis mortis, puta de tempore, loco, modo &c.; congruum enim, inquiunt, videbatur dignitati Christi, ut hæ circumstantiæ ipsius relinquerentur arbitrio. Hoc autem admisso dicunt Christum potuisse dici liberum ad mortem sufficienter ad meritum, ut licet Martyres non sint liberi ad moriendum vel non moriendum, cum tamen sint liberi ad circumstantias mortis, puta ad moriendum, vel non moriendum hìc & nunc pro fide, dicuntur libere hìc & nunc mori.

Quod si contra hos objiciatur videri etiam præceptas circumstantias mortis, ut colligitur ex illo (*a*): *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, ubi præcepta videtur etiam circumstantia mortis crucis, & ex illo (*b*): *Sciens Deus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo*, ubi videtur præcepta circumstantia temporis, & ex illo (*c*): *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit:* ubi generaliter videntur præscriptæ omnes mortis circumstantiæ: si rursus objiciatur in illorum sententia non salvari meritum Christi; nam si ad substantiam mortis ipse erat necessitatus, & solum erat liber quoad circumstantias, jam unam potius eligendo, quam alteram, non merebatur, ut non meretur qui necessitatus ad dandum pauperi centum, libere eligit potius dare manu dextera, quam sinistra, aut

(a) *Philipp.* 2. (b) *Jo.* 13.
(c) *Luc.* 22.

aut qui necessitatus ad moriendum in patibulo, potius eligit mori in hoc, quam in illo: si tandem objicitur, quod admissa hac explicatione ad summum sequitur Christum meruisse quoad circumstantias mortis, non autem quoad ipsam mortem, quod est contra Scripturas & communem sensum Ecclesiæ; si inquam hæc objiciantur.

Respondent salvari adductos textus, etsi Christus habuerit præceptum de morte solum quoad substantiam; nam hoc posito verificabatur Christum moriendo sub talibus vel talibus circumstantiis adimplere præceptum, quod declarant exemplo. Si ergo habeam præceptum visitandi Ecclesiam aliquam, cum libertate tamen eligendi & tempus, quod libuerit, & Ecclesiam pariter, quam libuerit; nonne si Ecclesiam potius hanc, quam aliam, & potius hoc, quam illo tempore visitem, dici poterit quod nunc visito hanc Ecclesiam, ut satisfaciam præcepto? & tamen, ut supponitur, præceptum non afficit nisi visitationem Ecclesiæ in genere. Ergo a pari &c. Ad id, quod additur, respondent illud esse verum, cum electio unius circumstantiæ præ altera non habet in se peculiarem æstimabilitatem moralem, ut non habent adductæ in casu. At quod Christus elegerit mori potius tunc, cum mortuus est, quam vivere longiori tempore, potius morte dolorosissima, quam alia morte mitiore, hæ sunt circumstantiæ, quarum electio moralem habet æstimabilitatem. Ergo &c. Ad ultimum respondent illas circumstantias facere quid unum moraliter cum morte, unde libertas quoad illas quodammodo faciebat liberam mortem, adeoque meritoriam, quod sufficere ad salvandum meritum mortis Christi probant ex quo, sicuti, cum dicitur Christum meruisse per mortem, non est sensus, quod meruerit per præcisam separationem animæ a corpore, in qua formaliter consistit mors, sed per actum, quo hanc separationem acceptavit, & voluit, qui actus cum hac separatione facit unum moraliter, ita a pari in casu.

Alii

Alii præceptam mortem concedunt Christo, sed volunt salvari illius libertatem per hoc, quod ipse habuerit facultatem petendi, & obtinendi dispensationem: ita inter cæteros Lugo. Hanc facultatem in Christo fuisse probant hi ex verbis ipsius (*a*): *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum*? quibus ostendit se potuisse petendo a Patre auxilium evitare passionem, & si passionem, cur non & mertem? Hanc porro facultatem suffecisse, ut Christus libere moreretur (adeoque ut posset per mortem mereri) probant; nam non petitio dispensationis moraliter refundebat libertatem in mortem, quamvis præceptam, unde Christus, non petendo dispensationem, quam poterat petere, & obtinere, poterat dici mori libere, non obstante præcepto; quomodo si quis clausus esset in carcere, & tamen posset rogando custodem carceris efficere, ut carcer aperiretur, nec rogaret, diceretur libere in carcere manere.

Si contra hos objiciatur, quod Christus ipse videtur petiisse hanc dispensationem dum ait (*b*): *Pater mi si possibile est, transeat a me calix iste*, quam tamen cum non obtinuerit, indicium est ipsum non habuisse facultatem petendi;

Respondent Christum tunc non petiisse dispensationem, nisi conditionate, si nimirum Patri placuisset, ut patet ex sequentibus: *Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat*. Cum igitur conditio non verificaretur, nec verificabatur petitio. Nisi dicere velimus Christum per priora verba nihil petiisse, sed solum ostendere voluisse repugnantiam partis inferioris ad mortem.

Alii tandem negant Christum de morte habuisse verum & rigorosum præceptum, quo Deus ipsum obligaret ad moriendum, sed solum volunt

(a) *Matt.* 26. (b) *Ibid.*

lunt habuisse consilium onerosum: *consilium* quidem, quatenus magis placuisset Patri, ut Christus moreretur, quam non, sicuti E. G. Deo magis placet matrimonio virginitas, quam tamen non præcepit: *onerosum* autem, quatenus Deus proposuit Christo mortem ut medium ad obtinendam redemptionem generis humani, & gloriam reparatoris, ita ut si ipse noluisset mori, non obtinuisset hos effectus. Si autem Christus non habebat verum præceptum de morte, jam ad moriendum erat liber, cum solum consilium necessitatem non induceret, adeoque potuit moriendo mereri, & de facto meruit. Muniunt hi propriam sententiam auctoritate Scripturæ, & Patrum, ac ratione, Scriptura enim, inquiunt ipsi, ex una parte docet Christum mortuum esse, quia voluit mori, ut supra innui: rursus docet quod si Christus non fuisset mortuus, non obtinuisset gloriam reparatoris, & redemptionem hominum, ut constat ex illo (*a*): *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*, & ex alio (*b*): *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur, pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur*. Scriptura ergo & excludit rigorosum præceptum, & adstruit consilium onerosum. Ex alia parte, si aliquando innuit Deum Christo præcipisse ut moreretur, vel Christum moriendo obedivisse, explicari commode potest per hoc, quod Deo magis placuerit ut Christus moreretur, etiam absque eo quod ullam circa hoc ei obligationem imponeret; nam aliquando voluntas etsi non obligativa exprimitur in Scripturis nomine præcepti, ut patet ex illo (*c*): *Dominus præcepit ei* (Semei), *ut malediceret David*, ubi ut patet, sermo est de

(a) *Jo.* 12. (b) *Isai*, 53. (c) 2. *Reg.* 16.

de voluntate Dei tantum permissiva, & ex illo ubi dicitur (*a*) Moysen præcipisse libellum repudii, ubi de permissione tantum haberi sermonem patet ex Matthæo (*b*): & obedientia exerceri potest etiam circa res non præceptas. Immo eo est perfectior obedientia, quo promptius subditus conformat se voluntati superioris etiam non præcipientis, ut docent magistri vitæ spiritualis, & nominatim S. Thomas, qui ait (*c*) *Voluntas superioris, quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum præceptum, & tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum preceptum obediendo prævenit, voluntate tamen superioris intellecta:* & infra: (*d*) *Potest triplex obedientia distingui, una sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his, ad quæ obligatur: alia perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit.*

Addunt Patres; nam Anselmus ait (*e*). *Non illi homini Pater ut moreretur cogendo precipit, sed ille quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit,* & infra: *sic itaque Patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc, quod Patri placitum scivit, sponte facere voluit. Denique quoniam Pater illi hanc bonam voluntatem dedit quamvis liberam, non immerito dicitur, quia eam velut Patris præceptum accepit.* Et S. Thomas in illud: *Pro nobis omnibus tradidit illum*, inquit: *Tradidit eum Deus Pater in mortem, eum incarnari & pati statuendo, & humanæ ejus voluntati inspirando charitatis affectum, qua passionem spontaneus subiret.*

Ad-

(a) *Marc.* 10. (b) *Matt.* 19.
(c) 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 2.
(d) *Art.* 5. *ad* 3.
(e) *De medit. Redemp. paragraph.* 5.

Addunt tandem rationem ; nam hæc explicatio, inquiunt, magis videtur convenire & amori Patris in Christum, & dignitati ipsius Christi, & commodior cæteris videtur esse. Ergo &c. Eligatur ex his sententiis quæ magis arridet; omnes enim probabiles sunt.

Circa tertium, alia meruit Christus sibi, alia hominibus, alia Angelis. Sibi meruit gloriam corporis, exaltationem nominis, & alia bona extrinseca post passionem obtenta. Ad intelligentiam distinguenda sunt dona Christo communicata primo instanti conceptionis suæ ab illis, quæ fuerunt communicata postea. Priora sunt gratia habitualis, omnes habitus ipsam concomitantes, & visio beatifica: posteriora sunt exaltatio nominis, gloria corporis & similia. Priora probabilius Christus non meruit, cum hæc fuerint ipsi data, ut consectaria unionis hypostaticæ & fuerint priora saltem natura omnibus Christi meritis; nisi forte dicere velimus Christum meruisse non primam collationem horum donorum, sed solum continuationem: alia autem, ut communiter docent Theologi Christus meruit.

Hoc insinuant Scripturæ, ubi Christus ita Patrem oravit (a): *Opus consummavi &c. nunc clarifica me*, & ubi Apostolus ait (b): *Humiliavit semetipsum . . . . propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, & alibi (c): *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum:* rursus dicitur: (d) *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem, & sapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem.*

Ac-

(a) *Jo.* 17. (b) *Philipp.* 2.
(c) *Heb.* 2. (d) *Apoc.* 5.

Accedit ratio; nam ex una parte, cum hæc dona non habuerit Christus statim a conceptione, potuit ea per operationes tum tempore tum natura illis priores mereri, ex alia magis Christo fuit gloriosum, ut ea promereretur, sicque haberet duplici titulo, nimirum & unionis hypostaticæ, & meriti.

Nec obstant aut Scripturæ docentes Christum venisse non propter se, sed propter homines, ut cum dicitur (*a*): *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis*, aut Ephesinum (*b*) damnans asserentes Christum se pro semetipso obtulisse; nam

Scriptura tantum innuit Christum venisse propter nos ut motivum proximum, & sine quo non venisset. Et Ephesinum solum damnavit asserentes Christum pro peccatis propriis seipsum obtulisse, ad quam rem adducit hanc rationem, quod Christus peccatum non fecit.

Quod spectat ad meritum Christi relate ad homines, probabilius videtur ex supra dictis gratiam collatam Adamo innocenti fuisse independentem a meritis Christi, cum decretum de Christo mittendo supposuerit Adami peccatum; sed cum post hoc peccatum humanum genus evaserit indignum gratiis supernaturalibus, nihil idcirco ad ordinem supernaturalem spectans datum postea est hominibus, nisi ex meritis Christi. Omnia igitur quæ spectant ad justificationem, prædestinationem, & vitationem peccatorum Christus, post Adami peccatum nobis meruit. Hoc indicant etiam Scripturæ, ut cum dicitur (*c*): *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, & rursus (*d*): *Sine me nihil potestis facere:* rursus (*e*): *Justificati gratis per gratiam ipsius*

(a) *Isai.* 9. (b) *Anathem.* 10.
(c) *Jo.* 1. (d) *Jo.* 15. (e) *Rom.* 3.

sius, per redemptionem, quæ est in Christo: & alibi (*a*): *Qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: & suadet ratio; nam Christus fuit constitutus caput rigorose tale omnium hominum: ergo his debent communicari dona supernaturalia per influxum illius. Sed

Dices I. Christus non meruit nobis fidem, quia Adamus non amisit in se fidem, adeoque nec amisit nobis: Christus autem ea tantum nobis meruit, quæ nobis deperdidit Adam. Ergo &c.

II. Christus nihil meruit hominibus, qui vixerunt ante ipsum, cum tunc non existerent illius merita.

III. Christus saltem suis crucifixoribus non meruit gratiam, qua evitarent Christicidium: nam cum peccatum Christicidii fuerit in priori etiam natura ad mortem Christi, in priori pariter ad eandem debebat esse gratia, qua hoc peccatum evitaretur: merita autem Christi erant in posteriori ad mortem; nam ut dictum est, non fuerunt acceptata, nisi ut consummata per mortem. Ergo &c.

Ad I. ℟. Adamum etsi non amiserit in se fidem, illam tamen amisisse nobis, quatenus peccando destitutus est potestate illam in nos transfundendi. Ergo &c.

Ad II. ℟. merita Christi licet tempore antiqui Testamenti non existentia in se, extitisse tamen in mente & acceptatione Dei, adeoque potuisse tunc extendi ad promerendas gratias, quo sensu dicitur Christus (*b*) *Agnus occisus ab origine mundi.*

Ad

(a) *Ephes.* 1. (b) *Apoc.* 13.

Ad III. ℟. vel fuisse acceptata merita Christi ut consummata per mortem solum consideratam in genere, & abstrahendo a modo ipsius, vel etsi fuerint acceptata ut consummata per mortem talem, scilicet mortem crucis, fuisse tunc consideratam mortem in priori ad prævisionem peccati Judæorum. Potuisse enim sic considerari talem Chsisti mortem, patet ex quo potuisset Deus vel Angelis, vel hominibus præcipere, ut crucifigerent Christum quo casu nullum fuisset peccatum in morte Christi, sicuti nec fuisset in Abrahamo, si ex præcepto Dei occidisset Isaac. Supposita igitur morte etiam sic considerata, potuit Deus acceptare merita Christi, & ex illis conferre Judæis gratiam, qua evitarent Christicidium, quod tamen cum vidisset ab ipsis non evitandum permittere voluit. Ergo &c.

Quod spectat ad meritum Christi relate ad Angelos, dicendum probabilius ipsum illis non meruisse ullum gradum gratiæ vel gloriæ essentialis, quia decretum de Christo mittendo, ut supra dictum est, fuit posterius peccato Adami, & consequenter peccato Angelorum: Accedit quod Christus omnibus fatentibus non est mortuus pro Angelis. Ergo iis non meruit sanctificationem & gloriam essentialem; hæc enim iis solum meruit, pro quibus mortuus est, cum ipsus merita, ut sæpius dictum est, a Deo acceptata non fuerint, nisi ut consummata per mortem. Hoc etiam innuit Apostolus, dum inquit (*a*): *Qui sanctificat, & qui sanctificatur ex uno omnes*, idest *ejusdem speciei* Ergo solos homines Christus sanctificavit. Angelis igitur meruit tantum gloriam accidentalem, ut E. G. gaudium ex salute hominum, & gloria, quam Deus propter Christum acquisivit, & similia.

Quo-

(a) *Heb.* 2.

Quomodo ergo, inquies, explicantur Scripturarum loca, quæ innuunt nullam esse datam gratiam nisi per Christum, ut est illud ejusdem Christi (*a*): *Nemo venit ad Patrem nisi per me:* vel expresse dicunt gratiam ex talibus meritis esse datam Angelis, ut sunt illa ubi Apostolus docet (*b*): *Deum omnia instaurasse in Christo, quæ in cœlis & quæ in terra sunt:* & alibi (*c*): *Complacuisse Deo per Christum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*, & cum de Angelis bonis dicitur (*d*): *Et ipsi vicerunt . . . . propter sanguinem agni*: vel docent gloriam Angelis ex iisdem meritis esse collatam, ut cum dicitur (*e*): *Decebat eum . . qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis eorum per passionem consummare*, ubi de Christo dicitur, quod cum passus est, multos filios jam antecedenter in gloriam adduxerat, quod non potest intelligi nisi de Angelis, cum nullus homo antecedenter ad passionem Christi fuerit adductus in gloriam. Rursus quomodo explicantur Patres omnem sanctificationem etiam in Angelis ex Christo repetentes, ut sunt Gregorius asserens (*f*) *extra Christum nullum esse sanctum*; & Hieronymus inquiens (*g*): *Crux Domini non solum terræ, sed & cœlo profuerit, non solum hominibus, sed & Angelis, & omnis creatura Domini sui cruore purgata sit*.

℞. Primo Scripturæ loco sermonem haberi tantum de homine, & quidem considerato post

(a) *Jo.* 14. (b) *Ephes.* 1.
(c) *Coloss.* 1. (d) *Apoc.* 12.
(e) *Heb.* 2.
(f) *In cap.* 2. 1. *Reg. cap.* 3.
(g) *In cap.* 2. *Ephes. v.* 15. 16. *& sequen.*

lapsum Adami: secundo loco pro verbo *instaurare* Græcos vertere *recapitulare*, idest *unire*, quod significat Christum in unum, idest in cœlo simul collegisse & Angelos, & homines: vel etiam retento vocabulo instaurationis responderi potest a Christo fuisse instaurata quæ in cœlis sunt, quia per homines implevit sedes vacuas Angelorum: tertio loco asseri a Christo pacificatos esse Angelos & homines, quia per istorum justificationem redditi sunt concordes Angeli, & homines: quartum locum non referri ad Angelos: licet enim supra narretur prælium Angelorum bonorum cum malis, attamen postea transitus fit ad homines Sanctos, & præcipue ad Martyres, ad quos refertur textus adductus, & de facto dicitur: *Et ipsi vicerunt propter sanguinem agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem* (vide Cornelium a Lapide (*a*): quinto tandem loco illud *adduxerat* communiter ab Interpretibus explicari *adducere decreverat*, vel *adducebat* juxta textum græcum, quo alterutro admisso corruit vis objectionis. Gregorius explicari potest de Christo ut Deus est: Hieronymi autem verba intellecta de Angelis sunt falsa; nam hi non fuerunt a peccatis purgati, cum boni non indiguerint purgatione, mali fuerint purgationis incapaces. Videtur ergo S. Doctor non ex propria loqui, sed ex sententia Origenis existimantis Christum venisse etiam ad redimendos Angelos peccatores.

Circa quartum tandem initio articuli propositum, quantus scilicet fuerit valor meritorum Christi, advertendum aliquos putare hæc merita fuisse infinita tantum extrinsece & dependenter ab acceptione Dei. S. Thomas cum aliis contra

(a) *In hunc loc.*

tra docet ipsa fuisse infinita etiam intrinsece, & antecedenter ad acceptionem Dei.

Videntur hi posteriores rectius procedere; cum enim Christi persona sit infinitæ dignitatis, infinite quoque dignificabat merita. Nec valet dicere fuisse quidem infinitæ dignitatis principium *quod* meriti, hoc est Verbum, sed non principium *quo*, idest humanitatem, quod videtur impedire infinitatem intrinsece talem; nam cum hìc agatur de infinitate morali, non de physica, impertinenter se habet ad illam impediendam finitas principii *quo*, cum principium *quod* est infinitum.

Adverto tamen merita hæc infinita non fuisse a Christo Patri oblata, nec a Patre acceptata, nisi ad aliquod determinatum præmium. Cum igitur nec Christus Patri obtulerit sua merita, nec ea Pater acceptaverit, ut omnibus tribuantur gratiæ efficaces, ut omnes salventur, ut non sit necessaria nostra cooperatio &c., hinc non omnibus confertur gratia efficax, non omnes salvantur, non tollitur necessitas nostræ cooperationis &c.

CAPUT SECUNDUM.

De Sacerdotio & oratione Christi.

DIvisionem capitis desumo ex titulo. Sit ergo

ARTICULUS PRIMUS.

Dictis obiter supra de Sacerdotio Christi hæc sunt addenda. Christum fuisse Sacerdotem, imo Pontificem docet Apostolus inquiens (*a*): *Chri-*

(a) *Heb.* 5.

stus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: filius meus es tu, ego hodie genui te, quemadmodum & in alio loco dicit: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Sacerdos fuit Christus qua homo; non enim potuit eſse qua Deus, cum Sacerdotis sit superiori offerre Sacrificium, Christus autem qua Deus nullum haberet superiorem. Porro quamvis fuerit Sacerdos ut homo, divinitas tamen illius Sacerdotium dignificabat. Cœpit hoc Sacerdotium, cum cœpit existere humanitas; fundabatur enim in unione hypostatica, quæ tunc habita est, & durabit in æternum, cum unio hypostatica sit æterna, & ideo Apostolus de Christo explicat illud: *Tu es Sacerdos in æternum.*

Sacrificium a Christo Sacerdote oblatum hoc est: obtulit se in cœna ante mortem, & quotidie se offert per manus Sacerdotum sub speciebus panis & vini. In his autem casibus Christus est Sacerdos & victima. Tandem offert Deo preces pro omnibus, offert insuper & jugiter offeret laudes & gratiarum actiones.

Effectus Sacrificii a Christo oblati, maxime si loquamur de Sacrificio sui ipsius tum cruento tum incruento, est præcipue expiatio peccatorum. Id docet Apostolus inquiens (*a*): *Sanguis Christi, qui per Spiritum S. seipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi*: est autem sufficientissimum hoc Sacrificium ad tollenda omnia peccata, quia in se est infiniti valoris, licet de facto ex culpa hominum omnia non tollat.

Quod

(a) *Heb.* 9.

Quod si dicas non fuisse sufficiens Sacrificium a Christo in cruce oblatum, quia hoc quotidie repetitur per Sacrificium incruentum altaris: talis autem repetitio est indicium insufficientiæ in priori Sacrificio, ut repetitio sacrificiorum veteris legis erat indicium insufficientiæ eorundem ad delenda peccata juxta Apostolum dicentem (*a*): *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, alioquin cessassent offerri.*

℟. Diversam esse rationem sacrificiorum antiquorum & Sacrificii a Christo oblati. Antiquitus enim non repetebatur idem sacrificium; nam semper mutabatur victima, unde necessitas secundi arguebat insufficientiam primi. E contra cum repetitur Sacrificium Christi, idem repetitur Sacrificium, quia idem semper est Sacerdos, eadem victima, sola offerendi ratio mutatur, cum in cruce fuerit cruentum, in altari sit incruentum. Idem ergo valor, qui est in posteriore Sacrificio erat in priore, unde eadem semper est ejusdem sufficientia ad tollenda peccata.

At cur dicitur Christus Sacerdos secundum Melchisedech?

Pro responsione noto de Melchisedecho in Scriptura dici (*b*) ipsum fuisse regem Salem, obviam ivisse Abrahamo & quodam prælio reverteuti, protulisse panem, & vinum, cum esset Sacerdos Dei, & ipsi Abrahamo benedixisse. Facit etiam mentionem de Melchisedecho Apostolus, ubi illum dicit (*c*) *Sine patre, sine matre, sine genealogia*. Quisnam fuerit hic Melchisedech controversum est. Hæretici dicti Melchisedechiani dixerunt ipsum esse virtutem Chri-

(a) *Heb.* 10. (b) *Gen.* 14.
(c) *Heb.* 7.

sto superiorem. Hierax quidam dixit ipsum esse spiritum S. Origenes dixit ipsum fuisse Angelum. Quidam Novatores asseruerunt ipsum esse Filium Dei. Inter illos, qui Melchisedechum fecerunt hominem, celebris est sententia Hebræorum, qui, teste S. Hieronymo, volunt Melchisedechum esse Semum filium Noe. Alii, teste S. Epiphanio, dicunt ipsum fuisse filium scorti, adeoque dici ab Apostolo sine patre, sine matre, & sine genealogia: alii etiam aliter. Probabilior tamen videtur illorum sententia, qui volunt ipsum fuisse quendam regem Chananæum, qui utpote Sacerdotio gaudens ratione primogenituræ, juxta morem illorum temporum, Deo offerebat sacrificium panis & vini, & qui ideo dicitur ab Apostolo sine patre, matre, & genealogia, quia ejus nec pater, nec mater, nec genealogia exprimitur in Scripturis.

Christus ergo dicitur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui sacrificium instituit, & obtulit, ac quotidie offert sui corporis & sanguinis sub speciebus panis & vini, ut panem & vinum offerebat Melchisedech Deo in sacrificium.

ARTICULUS SECUNDUS.

Ad tractationem de Sacerdotio Christi pertinere videtur tractatio de illius oratione, cum sacrificium etiam precum ex dictis pro nobis obtulerit, ac jugiter offerat Christus Sacerdos.

Christum ergo, dum in terris viveret, sæpe pro hominibus orasse, certum est ex Scripturis. Ipsum quoque nunc in cœlis pro iisdem orare docet Apostolus inquiens (a) *Semper vivens* (Christus) *ad interpellandum pro nobis*, & Joannes, qui ait (b): *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum*. Oratio autem ab ipso fun-

(a) *Heb.* 7. (b) 1. *Jo.* 2.

funditur, ut homo est (Deo enim ut Deo repugnat orare) licet ipsius orationes a divinitate dignificentur.

Orationes Christi semper fuerunt exauditæ juxta illud (*a*): *Sciebam quia semper me audis*: & merito; nam Pater maxime illum diligit, nec unquam petiit aut petet aliquid, quod justum non sit.

CAPUT TERTIUM.

De regia Christi dignitate, ac dignitate capitis, & ipsius potentia.

TRiplici articulo juxta tria proposita caput expediam.

ARTICULUS PRIMUS.

Christum fuisse regem docet Scriptura in persona Christi hæc habens (*b*): *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion*. Ipsius regnum fuisse spirituale docent omnes, cum fuerit constitutus in ordine supernaturali caput hominum & Angelorum. De regno ipsius temporali, quatenus homo erat (nam regnum etiam temporale ipsi qua Deo necessario competere est indubitatum), est controversum. Plures, inter quos præcipue Sotus & Bellarminus, negant ipsum fuisse regem temporalem, qui tamen indirectam Christo in temporalibus tribuunt potestatem, quatenus scilicet potuerit de temporalibus disponere, prout expediebat ad salutem animarum. Alii è contra, ut Berti, Lugo &c. volunt ipsum fuisse etiam directe regem temporalem, quamvis concedant illum noluisse uti jure, quod habebat, & revera se gerere ut regem. In hac controversia hæc videntur statuenda.

 1. Chri-

(a) *Jo.* 11. (b) *Psal.* 2.

I. Christus, dum esset viator in terris, nunquam exercuit regiam potestatem temporalem; nulla enim est assignabilis circumstantia, in qua illam exercuerit, imo, cum quidam (*a*) ab illo peteret, ut se interponeret in divisione cujusdam temporalis hæreditatis, ipse respondit: *Homo quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Et cum alias cognovisset (*b*) quosdam ex Judæis velle illum regem constituere, fugit, & se abscondit ab eis. Cohærenter ad quæ cum a Pilato interrogaretur utrum esset rex, ipse repondit (*c*): *Regnum meum non est de hoc mundo.*

II. Christus non fuit Rex temporalis aut electione populorum, ut constat ex dictis, aut jure belli, cum nulli bellum intulerit ad capessendum regnum.

III. probabilius nec fuit rex hæreditaria successione; quamvis enim descenderet a Davide, regnum tamen jampridem a familia David erat ablatum, & etiamsi non fuisset ablatum, difficile probaretur Christum ex omnibus posteris David illum fuisse, qui gradû proximiore, & per primogenitos ab ipso Davide descenderet, consequenter qui jure sanguinis omnibus aliis deberet præferri.

IV. probabilius Christus fuit rex etiam temporalis totius mundi quoad jus & potestatem. Hoc videtur innuere Scrîptura; nam ex una parte dicitur Christus (*d*) *princeps regum terræ:* & de ipso dicitur (*e*): *Habet . . . in fœmore* (idest in humanitate) *scriptum: rex regum, & dominus dominantium*, & alibi (*f*): *Hic est Dominus omnium:* rursus (*g*): *Omnia subjecta sunt ei ... præter eum, qui subjecit ei omnia:* tandem ipse Christus ait

(ab) *Luc*: 12. (b) *Jo.* 6.
(c) *Jo* 18. (d) *Apoc.* 1.
(e) *Ibid.* 19. (f) *Act.* 10.
(g) 1. *Cor.* 15.

ait (a): *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. (Quæ quidem testimonia violenter explicarentur de solo regno Christi spirituali, cum hoc non sufficiat, ut quis simpliciter dicatur rex, ut non sufficiebat relate ad summum Sacerdotem in antiqua lege, nec sufficit relate ad R. Pontificem in nova extra dominium Sanctæ Sedis etiam temporale). Ex alia parte quæ loca Scripturarum vel Patrum negant Christi regnum temporale, possunt facile explicari de regno in actu secundo & quoad exercitium regiæ potestatis, quo diximus Christum noluisse uti. Rursus hoc ostendit ratio; nam Christus certe Angelorum est rex nedum spiritualis, sed etiam temporalis, hoc scilicet sensu, quod ipsis potest præcipere quæ spectant nedum ad spiritualia, sed etiam ad temporalia. Ergo a fortiori hominum. Fundatur autem hoc regnum temporale Christi in unione hypostatica, qua posita Christus etiam qua homo evasit caput nedum quoad spiritualia, sed etiam quoad temporalia omnium creaturarum. Sed

Obj. ex ratione. I. inutile fuisset hoc regnum in Christo; nam ipse, ut dictum est, jure illius noluit uti.

II. admisso tali regno R. Pontifex, utpote qui est Christi Vicarius, haberet potestatem temporalem in toto mundo: & quicumque principes temporales non essent veri principes, sed tantum Christi Vicarii. Hæc sunt absurda. Ergo &c.

Ad I. ℟. non fuisse inutile hoc regnum in Christo, utpote cui ratione unionis hypostaticæ debebant competere omnia jura, & omnes honores dignitati illius accomodata. Quod autem jure per tale regnum acquisito noluerit uti non detrahit hujusmodi juri, sicuti nec detrahebat scientiæ, quam habebat omnium artium, quod non omnes exercuerit, aut scientiæ omnium idiomatum

---

(a) *Matt. ult.*

tum, quod non constet omnibus fuisse locutum, aut quod non exsiccaverit maria, moveritque montes, potentiæ, quam habebat hæc omnia peragendi. Ergo &c.

Ad II. ℞. Pontificem non habere potestatem temporalem saltem directam per totum mundum, quia constitutus quidem est a Christo proprius Vicarius, sed tantum quoad spiritualia. Possunt autem habere verum principatum Principes temporales non obstante Christi regno, quia ipse, ut dixi, noluit uti regia potestate, iisque permisit ut uterentur: imo possent talem principatum habere, etsi Christus regia potestate uti voluisset; potestas enim hæc utpote altioris & excellentioris ordinis non repugnat potestati principum inferiori, & subordinatæ, quomodo regnum Christi, ut Deus est, & dominium, quod habet ut talis super omnia, utpote quæ sunt in ordine altiore & excellentiore, non impediunt, ne possit regnum & dominium inferius & subordinatum, sed tamen verum esse apud homines. Ex quo patet posse reges temporales aliquo modo dici Vicarios Christi, ut possunt dici Vicarii Dei.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quæ spectant ad dignitatem capitis, patent ex iis, quæ variis occasionibus in hoc tractatu sunt dicta: hæc autem summatim collecta sunt, Christum dignitate esse caput omnium creaturarum, influxu autem illarum tantum, quibus aliquid meruit: quænam autem eæ sint, constat ex supradictis (Porro patet hic sermonem haberi de dignitate capitis Christo solum qua homini competente)

ARTICULUS TERTIUS.

Non hic agitur de potentia Christi, ut Deus est, nam de hac actum in tractatu de Deo, sed de potentia humanitati Christi concessa. Rursus non agitur de hac potentia relate ad effectus ordina-

dinarios, & connaturales humanitati, ut esset intelligere, velle &c.; de hac enim actum in superioribus; sed de potentia extraordinaria, quæ quidem potest reduci ad potentiam remittendi peccata, & patrandi miracula.

Christo etiam ut homini utramque potentiam fuisse concessam certum est apud omnes. Quæri autem potest an Christus qua homo physice peccata dimiserit, & miracula patraverit, an tantum moraliter, scilicet Deum præcise movendo ad hos effectus præstandos. Divisi sunt in hoc Theologi, alii stant pro causalitate physica, alii pro morali.

In hac quæstione utpote parvi momenti placet non multum immorari. Ut tamen aliquid circa illam dicam, assero probabilius esse Christum qua hominem peccata remisisse tantum moraliter; nam Tridentinum (*a*) docet solum Deum esse causam efficientem nostræ justificationis, Christum vero esse causam solum meritoriam. Ergo Christus, qua homo (ita enim consideratur, cum consideratur ut aliquid distinctum a Deo) est solum causa justificationis moralis, cum causa meritoria sit tantum moralis. Eo ipso peccata non remittit nisi moraliter. Ergo &c.

Quoad modum vero, quo Christus ut homo miracula patrabat, difficile est aliquid definire, cum Scriptura & Patres aliquando causalitatem moralem, aliquando physicam indicare videantur. Priorem indicant illa Scripturæ loca, ubi dicitur Christus patrasse miracula per vocem, per imperium, aliudve simile, quod improportionatum videtur ad physice miraculum producendum. Illam etiam indicant aliqui Patres, ut Athanasius, qui loquens de socru Simonis a Christo sanata inquit (*b*): *Humano more manum extendit, divinitus autem morbum compescuit:* & Damascenus, qui circa puellam a Christo resuscitatam inquit (*c*): *Humanæ actionis opus id fuit quod puellæ manum*

(a) *Sess. 6. cap. 7.* (b) *Orat. 4 contr. Arian*
(c) *Lib. 3. de fid. cap. 15.*

arripuerit ac perthraxerit, divinæ autem, quod eam ad vitam revocaverit: ubi, ut patet, hi Patres productionem horum miraculorum non actioni physicæ humanitatis Christi tribuunt, sed tantum divinitati.

Posteriorem autem influxum indicant Scripturæ, dum dicunt de carne Christi (*a*): *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*: & dum occasione mulieris per contactum Christi sanatæ a fluxu sanguinis hæc Christi verba referunt (*b*): *Quis me tetigit . . . . tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exisse*: innunt Concilia, ut Ephesinum, quod docet (*c*) carnem Christi per unionem ad Verbum factam esse vivificatricem: innuunt Patres, ut Hilarius inquiens (*d*): *Est autem in simplici intelligentia magnæ virtutis dominicæ admiratio, cum potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, & usque in vestium fimbrias operatio divina procederet*, & supra adductus Damascenus inquiens. (*e*): *In Domino nostro Jesu Christo miraculorum vis divinitatis ipsius actio erat: at manuum opera . . humanitatis ipsius actio erat*.

His positis, cum de re facti agatur, cumque momenta, ex quibus factum erui deberet, sint dubia, ut patet, consultius videtur utramque sententiam dicere probabilem, ac nihil præterea definire; nisi forte dicere velimus cum Tournely Christum ut hominem physice miracula patrasse, quæ in subjecto præsenti fiebant, moraliter vero quæ fiebant in distans. Et hæc satis de Incarnatione.

Finis Partis secundæ Tomi tertii.

(a) *Luc.* 6. (b) *Ibid.* 8.
(c) *P.* 3. *in explanat. quorund. capit. anathem.* 11. (d) *Cap.* 9. *in Matth.*
(e) *Lib.* 3. *de fid. cap.* 15.

I N D E X

Eorum, quæ in hac secunda parte Tomi tertii continentur:

TRACTATUS DE INCARNATIONE. Pag. 3.

DISSERTATIO I. *Notio exhibetur incarnationis, & agitur de illius poſſibilitate, convenientia, neceſſitate, cauſa finali, & meritoria.* ibid.

CAP. I. *Notio exhibetur incarnationis, atque agitur de illius poſſibilitate & convenientia.* 4.

ART. I. *Explicatur quid ſit incarnatio.* ibid.

ART. II. *Agitur de illius poſſibilitate.* 5.

ART. III. *De illius convenientia.* 15.

CAP. II. *De neceſſitate Incarnationis.* 16.

ART. I. *Examinatur utrum Deus in ſe, & independenter a quacumque hypotheſi fuerit neceſſitatus ad Incarnationem.* ibid.

ART. II. *Utrum fuerit neceſſitatus dependenter ab aliqua hypotheſi.* 17.

CAP. III. *De cauſa finali incarnationis.* 23.

ART. I. *Aſſignatur finis, quem actu habuit Deus in incarnatione.* ibid.

ART. II. *Examinatur utrum redemptio generis humani ita fuerit finis incarnationis, ut homine non peccante Verbum non fuiſſet incarnatum.* 25.

CAP. IV. *De cauſa meritoria incarnationis.* 41.

ART. I. *Examinantur quæ ſpectant ad meritum incarnationis relate ad humanitatem Chriſti per ſe ſpectatam.* ibid.

Quæ

Art. II. *Quæ spectant ad idem meritum relate ad Christum.* 43.
Art. III. *Quæ spectant ad idem meritum relate ad Deiparam.* ibid.
Art. IV. *Quæ spectant ad idem meritum relate ad Sanctos Patriarchas.* 45.
DISSERTATIO II. *De existentia incarnationis*. ib.
CAP. I. *Ostenditur Messiam venisse ex vaticinio Jacobi.* 47.
Art. I. *Exponitur quomodo hoc vaticinium explicetur a Christianis.* ibid.
Art. II. *Quomodo illud explicent Judæi.* 66.
Art. III. *Quomodo ex illo probetur adventus Messiæ.* 73.
CAP. II. *Ostenditur Messiam venisse ex vaticinio Danielis.* 75.
Art. I. *Exponitur quomodo explicetur hæc prophetia a Christianis;* 76.
Art. II. *Quomodo explicetur a Judæis.* 80.
Art. III. *Quomodo ex illa probetur adventus Messiæ.* 83.
CAP. III. De *initio & fine hebdomadarum Danielis.* ibid.
Art. I. *Examinatur quonam præcise anno Christus natus sit.* 84.
Art. II. *Quo anno fuerit baptizatus.* 106.
Art. III. *Quo anno mortuus fuerit.* 116.
Art. IV. *Quo anno initium habuerint Danielis hebdomadæ, & quo anno habuerint finem.* 128.
CAP. IV. *Ostenditur Messiam venisse ex vaticiniis Aggæi & Malachiæ.* 144.
Art. I. *Ostenditur quomodo hæc a Christianis explicentur, & adhibeantur ad ostendendum Messiam jam advenisse.* 145.
Art. II. *Quomodo explicentur a Judæis, atque adeo quomodo hi conentur eludere argumenta Christianorum.* 146.
CAP. V. *Ostenditur contra Judæos Messiam esse Jesum Christum.* 147.
Art. I. *Agitur de genere, ex quo prænunciatus est futurus Messias.* 148.

Art. II. *De virginitate matris ipsius.* 162.
Art. III. *De reliquis ipsius characteribus.* 168.
Art. IV. *Additur præcedentium confirmatio ex testimonio Josephi, & ex actis Pilati.* 176.
DISSERTATIO III. *De natura a Verbo assumpta.* 183.
CAP. I. De *erroribus Hæreticorum circa incarnationem.* ibid.
Art. I. *Recensentur errores circa corpus Christi.* 184.
Art. II. *Errores circa animam Christi.* 185.
Art. III. *Errores circa unionem naturæ humanæ cum persona Vrrbi.* ibid.
Art. IV. *Errores circa consectaria hujus unionis.* 188.
CAP. II. *De corpore assumpto a Verbo.* 192.
Art. I. *Probatur verum & reale corpus assumptum fuisse a Verbo.* 193.
Art. II. *Probatur illud fuisse genitum & natum de Maria.* 197.
Art. III. *Probatur illud fuisse genitum & natum de Maria salva ipsius virginitate.* 201.
Art. IV. *Examinatur utrum omnes partes humani corporis a Verbo sint immediate assumptæ, & unitæ hypostasi suæ.* 210.
Art. V. *An assumpserit Verbum defectus humani corporis, & si assumpsit, quos assumpserit.* 214.
Art. VI. *Utrum facies Christi fuerit venusta, an deformis.* 219.
CAP. III. *De anima a Verbo assumpta.* ibid.
Art. I. *Probatur veram animam fuisse a Verbo assumptam.* ibid.
Art. II. *Examinatur utrum Verbum assumpserit etiam passiones animæ naturales.* 222
Art. III. *Agitur de scientia Christi.* 225.
Art. IV. *De illius sanctitate & gratia.* 230.
Art. V. *De illius impeccabilitate.* 242.
Art. VI. *De descensu animæ Christi ad inferos.* 247.

De

CAP. IV. *De unione Verbi cum natura humana.* 253.
ART. I. *Probatur unionem Verbi cum humanitate fuisse substantialem & hypostaticam, adeoque unicam in Christo esse personam.* ibid.
ART. II. *Probatur Mariam vere esse dicendam Deiparam.* 267.
CAP. V. *De consectariis unionis Verbi cum humanitate.* 268.
ART. I. *Impugnatur error Eutychetis.* 269.
ART. II. *Impugnatur error Monothelitarum.* 278
ART. III. *Agitur de communicatione Idiomatum.* 285.
DISSERTATIO IV. *De dignitatibus & officiis Christo competentibus.* 293.
CAP. I. *De officio mediatoris, ubi etiam de redemptione, satisfactione ac merito Christi.* ibid.
ART. I. *Explicantur quæ in genere spectant ad officium mediatoris.* ibid.
ART. II. *Quæ peculiariter spectant ad redemptionem hominum per Christum factam, ac satisfactionem ab ipso pro iisdem Deo exhibitam.* 295.
ART. III. *Quæ spectant ad Christi merita* 308.
CAP. II. *De Sacerdotio & oratione Christi.* 323.
ART. I. *De Sacerdotio Christi.* ibid.
ART. II. *De illius Oratione.* 326.
CAP. III. *De regia Christi dignitate, ac dignitate capitis, & ipsius potentia.* 327.
ART. I. *De regia Christi dignitate.* ibid.
ART. II. *De dignitate capitis.* 330.
ART. III. *De ipsius potentia.* ibid.

FINIS.

TABULA

TABULA
CRONOLOGICA
Rerum ſpectantium
AD HEBDOMADAS DANIELIS

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
1. 1	776			
2	775			
3	774			
4	773			
2. 1	772			
2	771			
3	770			
4	769			
3. 1	768			
2	767			
3	766			
4	765			
4. 1	764			
2	763			
3	762			
4	761			
5. 1	760			
2	759			
3	758			
4	757			
6. 1	756			Roma juxta Varronem condita in fine anni
2	755			
3	754	....	....	
4	753	1		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
7. 1	752	2		
2	751	3		
3	750	4		
4	749	5		
8. 1	748	6		
2	747	7		
3	746	8		
4	745	9		
9. 1	744	10		
2	743	11		
3	742	12		
4	741	13		
10. 1	740	14		
2	739	15		
3	738	16		
4	737	17		
11. 1	736	18		
2	735	19		
3	734	20		
4	733	21		
12. 1	732	22		
2	731	23		
3	730	24		
4	729	25		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
13. 1	728	26		
2	727	27		
3	726	28		
4	725	29		
14. 1	724	30		
2	723	31		
3	722	32		
4	721	33		
15. 1	720	34		
2	719	35		
3	718	36		
4	717	37		
16. 1	716	38		
2	715	39		
3	714	40		
4	713	41		
17. 1	712	42		
2	711	43		
3	710	44		
4	709	45		
18. 1	708	46		
2	707	47		
3	706	48		
4	705	49		

Anni Olympyadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
19. 1	704	50		
2	703	51		
3	702	52		
4	701	53		
20. 1	700	54		
2	699	55		
3	698	56		
4	697	57		
21. 1	696	58		
2	695	59		
3	694	60		
4	693	61		
22. 1	692	62		
2	691	63		
3	690	64		
4	689	65		
23. 1	688	66		
2	687	67		
3	686	68		
4	685	69		
24. 1	684	70		
2	683	71		
3	682	72		
4	681	73		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
25. 1	680	74		
2	679	75		
3	678	76		
4	677	77		
26. 1	676	78		
2	675	79		
3	674	80		
4	673	81		
27. 1	672	82		
2	671	83		
3	670	84		
4	669	85		
28. 1	668	86		
2	667	87		
3	666	88		
4	665	89		
29. 1	664	90		
2	663	91		
3	662	92		
4	661	93		
30. 1	660	94		
2	659	95		
3	658	96		
4	657	97		

Anni Olympia-dum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
31. 1	656	98		
2	655	99		
3	654	100		
4	653	101		
32. 1	652	102		
2	651	103		
3	650	104		
4	649	105		
33. 1	648	106		
2	647	107		
3	646	108		
4	645	109		
34. 1	644	110		
2	643	111		
3	642	112		
4	641	113		
35. 1	640	114		
2	639	115		
3	638	116		
4	637	117		
36. 1	636	118		
2	635	119		
3	634	120		
4	633	121		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
37. 1	632	122		
2	631	123		
3	630	124		
4	629	125		
38. 1	628	126		
2	627	127		
3	626	128		
4	625	129		
39. 1	624	130		
2	623	131		
3	622	132		
4	621	133		
40. 1	620	134		
2	619	135		
3	618	136		
4	617	137		
41. 1	616	138		
2	615	139		
3	614	140		
4	613	141		
42. 1	612	142		
2	611	143		
3	610	144		
4	609	145		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
43. 1	608	146		
2	607	147		
3	606	148		
4	605	149		
44. 1	604	150		
2	603	151		
3	602	152	Initium Captivitatis Babylonicę	
4	601	153		
45. 1	600	154		
2	599	155		
3	598	156		
4	597	157		
46. 1	596	158		
2	595	159		
3	594	160		
4	593	161		
47. 1	592	162		
2	591	163		
3	590	164		
4	589	165		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos.
48. 1	588	166		
2	587	167		
3	586	168		
4	585	169		
49. 1	584	170		
2	583	171		
3	582	172		
4	581	173		
50. 1	580	174		
2	579	175		
3	578	176		
4	577	177		
51. 1	576	178		
2	575	179		
3	574	180		
4	573	181		
52. 1	572	182		
2	571	183		
3	570	184		
4	569	185		
53. 1	568	186		
2	567	187		
3	566	188		
4	565	189		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
54. 1	564	190		
2	563	191		
3	562	192		
4	561	193		
55. 1	560	194		
2	559	195		
3	558	196		
4	557	197		
56. 1	556	198		
2	555	199		
3	554	200		
4	553	201		
57. 1	552	202		
2	551	203		
3	550	204		
4	549	205		
58. 1	548	206		
2	547	207		
3	546	208		
4	545	209		
59. 1	544	210		
2	543	211		
3	542	212		
4	541	213		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
60. 1	540	214		
2	539	215		
3	538	216		
4	537	217		
61. 1	536	218		
2	535	219		
3	534	220		
4	533	221		
62. 1	532	222	Relaxatio Captivitatis Babylonicæ.	Initium Monarchię Babylonicę Persicæ Cyri.
2	531	223		
3	530	224	....	Mors Cyri tertio anno regni, cui succedit Cambyses.
4	529	225		
63. 1	528	226		
2	527	227		
3	526	228		
4	525	229		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
64. 1	524	230		
2	523	231	....	Mors Cambysis anno 7. regni, cui succedit Smerdes Magus
3	522	232	....	Mors Smerdis I. anno regni, cui succedit Darius Hystaspidis.
4	521	233		
65. 1	520	234		
2	519	235		
3	518	236		
4	517	237		
66. 1	516	238		
2	515	239		
3	514	240		
4	513	241		
67. 1	512	242		
2	511	243		
3	510	244		
4	509	245		

Anni Olympiadum	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
68. 1	508	246		
2	507	247		
3	506	248		
4	505	249		
69. 1	504	250		
2	503	251		
3	502	252		
4	501	253		
70. 1	500	254		
2	499	255		
3	498	256		
4	497	257		
71. 1	496	258		
2	495	259		
3	494	260		
4	493	261		
72. 1	492	262		
2	491	263		
3	490	264		
4	489	265		

Anni Olympyadum	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
73. 1	488	266		Mors Darii Hystaspidis 36. anno regni, cui successit Xerses primus.
2	487	267		
3	486	268	....	
4	485	269		
74. 1	484	270		
2	483	271		
3	482	272		
4	481	273		
75. 1	480	274		
2	479	275		
3	478	276		
4	477	277		
76. 1	476	278		Annus 12. Xersis primi, cui Petavius consignat associationem ad Imperium ab ipso factam Artaxersis Longimani: & Usserius ipsius Xersis mortem.
2	475	279		
3	474	280	....	
4	473	281		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
77. 1	472	282		
2	471	283		
3	470	284		
4	469	285		
78. 1	468	286		
2	467	287		
3	466	288		
4	465	289	....	Huic anno communius consignatus mors Xerſis primi anno 21. regni, cui ſucceſſit Artaxerxes Longimanus
79. 1	464	290		
2	463	291		
3	462	292		
4	461	293		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
80. 1	460	294		Annus septimus Artaxerses Longimani a morte Xerxis primi juxta communiorem, a quo anno plures auspicantur Hebdomadas Danielis
2	459	295		
3	458	296	....	
4	457	297		
81. 1	456	298		
2	455	299		Annus 20. Longimani juxta systema Petavii & Usserii, a quo anno ipsi hebdomadas Danielis auspicantur.
3	454	300	....	
4	453	301		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
82. 1	452	302		
2	451	303		
3	450	304		
4	449	305		
83. 1	448	306		
2	447	307		
3	446	308		
4	445	309	....	Annus 20. Aataxerxis Longimani a morte Xerxis primi juxta communiorem, a quo itidem anno plures auspicantur hebdomadas Danielis.
84. 1	444	310		
2	443	311		
3	442	312		
4	441	313		

Anni Olympialum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
85. 1	440	314		
2	439	315		
3	438	316		
4	437	317		
86. 1	436	318		
2	435	319		
3	434	320		
4	433	321		
87. 1	432	322		Mors Longimani anno 40. regni a morte Xerxis primi, cui ſucceſſit Xerxes ſecundus, quo ſtatim occiſo, Sogdianus, & hoc etiam fere ſtatim occiſo, Darius Nothus.
2	431	323		
3	430	324		
4	429	325		
88. 1	428	326		
2	427	327		
3	426	328		
4	425	329	....	

Anni Olympiadum.		Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos.
89.	1	424	330		
	2	423	331		
	3	422	332		
	4	421	333		
90.	1	420	334		
	2	419	335		
	3	418	336		
	4	417	337		
91.	1	416	338		
	2	415	339		
	3	414	340		
	4	413	341		
92.	1	412	342		
	2	411	343		
	3	410	344		
	4	409	345		
93	1	408	346		
	2	407	347		
	3	406	348		Mors Darii Nothi anno 20. regni, cui ſucceſſit Artaxerxes Mnemon.
	4	405	349	....	

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
94. 1	404	350		
2	403	351		
3	402	352		
4	401	353		
95. 1	400	354		
2	399	355		
3	398	356		
4	397	357		
96. 1	396	358		
2	395	359		
3	394	360		
4	393	361		
97. 1	392	362		
2	391	363		
3	390	364		
4	389	365		
98. 1	388	366		
2	387	367		
3	386	368		
4	385	369		
99. 1	384	370		
2	383	371		
3	382	372		
4	381	373		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos.
100. 1	380	374		
2	379	375		
3	378	376		
4	377	377		
101. 1	376	378		
2	375	379		
3	374	380		
4	373	381		
102. 1	372	382		
2	371	383		
3	370	384		
4	369	385		
103. 1	368	386		
2	367	387		
3	366	388		
4	365	389		
104. 1	364	390		
2	363	391		
3	362	392	....	Mors Mnemonis anno 43. regni, cui ſucceſſit Artaxerxes Ochus.
4	361	393		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
105. 1	360	394		
2	359	395		
3	358	396		
4	357	397		
106. 1	356	398		
2	355	399		
3	354	400		
4	353	401		
107. 1	352	402		
2	351	403		
3	350	404		
4	349	405		
108. 1	348	406		
2	347	407		
3	346	408		
4	345	409		
109. 1	344	410		
2	343	411		
3	342	412		
4	341	413		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos.
110. 1	340	414		
2	339	415	....	Mors Ochi anno 23 regni. cui successit Arses.
3	338	416		
4	337	417	....	Mors Arsetis anno secundo regni. cui successit Darius Codomanus.
111. 1	336	418		
2	335	419		
3	334	420		
4	333	421		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
112. 1	332	422		
2	331	423		
3	330	424	....	Victoria ad Arbelam de Codomano obtenta ab Alexandro Magno. Finis Imperii Persici, & initium Imperii Alexandri in Babylone.
4	329	425		
113. 1	328	426		
2	327	427		
3	326	428		
4	325	429		
114. 1	324	430	....	Mors Alexandri Magni anno sexto Imperii Babylonici.
2	323	431		
3	322	432		
4	321	433		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
115. 1	320	434		
2	319	435		
3	318	436		
4	317	437		
116. 1	316	438		
2	315	439		
3	314	440		
4	313	441		
117. 1	312	442	....	Regnum Syriæ 'a Seleuco Nicatore fundatum.
2	311	443		
3	310	444		
4	309	445		
118. 1	308	446		
2	307	447		
3	306	448		
4	305	449		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos.
119. 1	304	450		
2	303	451		
3	302	452		
4	301	453		
120. 1	300	454		
2	299	455		
3	298	456		
4	297	457		
121. 1	296	458		
2	295	459		
3	294	460		
4	293	461		
122. 1	292	462		
2	291	463		
3	290	464		
4	289	465		
123. 1	288	466		
2	287	467		
3	286	468		
4	285	469		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos.
124. 1	284	470		Mors Seleuci Nicatoris anno 32 regni, cui ſucceſſit Antiochus Soter.
2	283	471		
3	282	472		
4	281	473	....	
125. 1	280	474		
2	279	475		
3	278	476		
4	277	477		
126. 1	276	478		
2	275	479		
3	274	480		
4	273	481		
127. 1	272	482		
2	271	483		
3	270	484		
4	269	485		
128. 1	268	486		
2	267	487		
3	266	488		
4	265	489		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
129. 1	264	490		
2	263	491	....	Mors Soteris anno 19. regni, cui ſucceſſit Antiocus dictus *Deus*.
3	262	492		
4	261	493		
130. 1	260	494		
2	259	495		
3	258	496		
4	257	497		
131. 1	256	498		
2	255	499		
3	254	500		
4	253	501		
132 1	252	502		
2	251	503		
3	250	504		
4	249	505		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
133. 1	248	506		
2	247	507	....	Mors Antiochi Dii anno 15. regni, cui succesſit Seleucus Callinicus.
3	246	508		
4	245	509		
134. 1	244	510		
2	243	511		
3	242	512		
4	241	513		
135. 1	240	514		
2	239	515		
3	238	516		
4	237	517		
136. 1	236	518		
2	235	519		
3	234	520		
4	233	521		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
137. 1	232	522		
2	231	523		
3	230	524		
4	229	525		
138. 1	228	526		
2	227	527	....	Mors Seleuci Callinici anno 20. regni, cui successit Seleucus Ceraunus.
3	226	528		
4	225	529		
139. 1	224	530	....	Mors Ceranni anno 2. regni, cui successit Antiocus magnus.
2	223	531		
3	222	532		
4	221	533		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
140. 1	220	534		
2	219	535		
3	218	536		
4	217	537		
141. 1	216	538		
2	215	539		
3	214	540		
4	213	541		
142. 1	212	542		
2	211	543		
3	210	544		
4	209	545		
143. 1	208	546		
2	207	547		
3	206	548		
4	205	549		
144. 1	204	550		
2	203	551		
3	202	552		
4	201	553		
145. 1	200	554		
2	199	555		
3	198	556		
4	197	557		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
146. 1	196	558		
2	195	559		
3	194	560		
4	193	561		
147. 1	192	562		
2	191	563		
3	190	564		
4	189	565		
148. 1	188	566	....	Mors Antiochi magni anno 36. regni, cui ſucceſſit Seleucus Philopator.
2	187	567		
3	186	568		
4	185	569		
149. 1	184	570		
2	183	571		
3	182	572		
4	181	573		
150. 1	180	574		
2	179	575		
3	178	576		
4	177	577		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
151. 1	176	578	....	Mors Philopatoris anno 12. regni, cui successit Antiocus Epiphanes, seu illustris.
3	175	579		
2	174	580		
4	173	581		
152. 1	172	582	Circa hæc tempora mors Oniæ.	
2	171	583		
3	170	584		
4	169	585		
153. 1	168	586		
2	167	587		
3	166	588		
4	165	589		

Anni Olympyadum	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
154. 1	164	590	Initium Principatus Judæ Maccabæi.	Mors Antiochi Epiphanis.
2	163	591		
3	162	592		
4	161	593	Mors Judæ anno 3. Principatus, cui successit Jonathas ejus frater.	
155. 1	160	594		
2	159	595		
3	158	596		
4	157	597		
156. 1	156	598		
2	155	599		
3	154	600		
4	153	601		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos.
157. 1	152	602		
2	151	603		
3	150	604		
4	149	605		
158. 1	148	606		
2	147	607		
3	146	608		
4	145	609		
159. 1	144	610	Mors Jonathæ anno 17. Principatus, cui ſucceſſit Simon ejus frater.	
2	143	611		
3	142	612		
4	141	613		
160. 1	140	614		
2	139	615		
3	138	616		
4	137	617		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
161. 1	136	618		
2	135	619	Mors Simonis anno 9. Principatus, cui successit Joannes Hircanus ejus filius.	
3	134	620		
4	133	621		
162. 1	132	622		
2	131	623		
3	130	624		
4	129	625		
163. 1	128	626		
2	127	627		
3	126	628		
4	125	629		
164. 1	124	630		
2	123	631		
3	122	632		
4	121	633		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
165. 1	120	634		
2	119	635		
3	118	636		
4	117	637		
166. 1	116	638		
2	115	639		
3	114	640		
4	113	641		
167. 1	112	642		
2	111	643		
3	110	644		
4	109	645		
168. 1	108	646		
2	107	647		
3	106	648		
4	105	649	Mors Joannis Hircani anno 30. Principatus. Et successit Aristobulus ejus filius, qui nomen Regis assūpsit.	

Anni Olympyadum	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
169. 1	104	650	Mors Ariſtobuli primo anno regni. Ei ſucceſſit Alexander Jannæus ejus filius.	
2	103	651		
3	102	652		
4	101	653		
170. 1	100	654		
2	99	655		
3	98	656		
4	97	657		
171. 1	96	658		
2	95	659		
3	94	660		
4	93	661		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem	Anni ab Urbe condita	Res Judæorum.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
172. 1	92	662		
2	91	663		
3	90	664		
4	89	665		
173. 1	88	666		
2	87	667		
3	86	668		
4	85	669		
174. 1	84	670		
2	83	671		
3	82	672		
4	81	673		
175. 1	80	674		
2	79	675		
3	78	676		
4	77	677	Mors Jannæi anno 27. regni, cui ſucceſſit Alexandra ipſius uxor.	

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
176. 1	76	678		
2	75	679		
3	74	680		
4	73	681		
177. 1	72	682		
2	71	683		
3	70	684		
4	69	685		
178. 1	68	686	Mors Alexādræ an. 9. regni: succeſſit Hircanus ejus filius, qui poſt 3. annos ab Ariſtobulo fratre ſuo e regno dejectus eſt. Poſt 3. annos dejectus Ariſtobulus, & denuo evectus Hircānus.	
2	67	687		
3	66	688		
4	65	689		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Res Judæorum	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
179. 1	64	690		
2	63	691		
3	62	692		
4	61	693		
180. 1	60	694		
2	59	695		
3	58	696		
4	57	697		
181. 1	56	698		
2	55	699		
3	54	700		
4	53	701		
182. 1	52	702		
2	51	703		
3	50	704		
4	49	705		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æra vulgarē.	Anni ab Urbe condita	Anni Juliani.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
183.1	48	706			
2	47	707			
3	46	708			
4	45	709	1		Emendatio Anni facta a Julio Cæsare primo Imperatore Romano, ex quo Anni Juliani.
184.1	44	710	2		Occisio Julii Cæsaris idibus Martii, cui in Imperio Romano succedit Augustus.
2					
3					
4					
	43	711	3		Anni Augusti 4.
	42	712	4		
	41	713	5		

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Anni Juliani.	Res Judæorum.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
					Anni Augusti
185.1	40	714	6	Hircanus denuo è solio dejectus ab Antigono filio Aristobuli, qui regnavit 3. annis, & 3. mensibus. Eodem anno electio Herodis facta a Romanis, & post 3. annos occisio Antigoni.	5
2	39	715	7		6
3	38	716	8		7
4	37	717	9		8

Anni Olympiadum	Anni ante Æram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Anni Juliani.	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
186.1	36	718	10	Annus 5. Herodis a prima electione, & secundus a morte Antigoni.	9
2	35	719	11	6. & 3	10
3	34	720	12	7. & 4	11
4	33	721	13	8. & 5	12
187.1	32	722	14	9. & 6	13
2	31	723	15	10. & 7	Pugna 14
3	30	724	16	11. & 8	Actia- 15
4	29	725	17	12. & 9	ca 16
				Anni Herodis	Anni Augusti
188.1	28	726	18	13. & 10	17
2	27	727	19	14. & 11	18
3	26	728	20	15. & 12	19
4	25	729	21	16. & 13	20

Anni Olympiadum.	Anni ante Eram vulgarem.	Anni ab Urbe condita.	Anni Juliani	Res Judæorum	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos.
				Anni Herodis	Anni Augusti
189.1	24	730	22	17.& 14	21
2	23	731	23	18.& 15	22
3	22	732	24	19.& 16	23
4	21	733	25	20.& 17	24
190.1	20	734	26	21.& 18	25
2	19	735	27	22.& 19	26
3	18	336	28	23.& 20	27
4	17	737	29	24.& 21	28
191.1	16	738	30	25.& 22	29
2	15	739	31	26.& 23	30
3	14	740	32	27.& 24	31
4	13	741	33	28.& 25	32
192.1	12	742	34	29.& 26	33
2	11	743	35	30 & 27	34
3	10	744	36	31.& 28	35
4	9	745	37	32.& 29	36
193.1	8	746	38	33.& 30	37
2	7	747	39	34.& 31	38
3	6	748	40	35.& 32	39
4	5	749	41	Nativit. Christi 25. Deç. 36.& 33	40

Anni Olympiadum.	Anni ante Æ rā vulgarem	Anni ab Urbe condita	Anni Juliani	Anni ætatis Christi	Res Judæorum. & Christi	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
						Anni Augusti
194.1	4	750	42	1	37. & 34 Præsentatio Christi ad Templum. Cædes SS. Innocentium. Mors Herodis versus Pascha. Succedit Archelaus. Anni Archelai	41
2	3	751	43	2	2	42
3	2	752	44	3	3	43
4	1	753	45	4	4	44

Anni Olympiadum.	Anni ante Æram vulgarem	Anni ab Urbe condita	Anni Juliani	Anni ætatis Christi	Res Judæorum & Christi	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
						Anni Augusti
195.1	1	754	46	5	5	45
2	2	755	47	6	6	46
3	3	756	48	7	7	47
4	4	757	49	8	8	48
196.1	5	758	50	9	9	49
2	6	759	51	10	10	50
					Archelaus pellitur in exilium. Deinceps Judæam gubernarunt Præsides Romani.	
3	7	760	52	11		51
4	8	761	53	12		52

Anni Olympiadum.	Anni Æræ vulgaris	Anni ab Urbe condita.	Anni Juliani.	Anni ætatis Christi.	Res Judæorum & Christi.	Res Principũ exterorum ſpectantes ad Judæos.
						Anni Augusti
197. 1	9	762	54	13		53
2	10	763	55	14		54
3	11	764	56	15		55
4	12	765	57	16		56
						57
						58
198. 1	13	766	58	17		Mors
2	14	767	59	18	....	Augusti mense Augusto, cui succedit Tiberius. Hujus anni
3	15	768	60	19		2
4	16	769	61	20		3
199. 1	17	770	62	21		4
2	18	771	63	22		5
3	19	772	64	23		6
4	20	773	65	24		7

Anni Olympiadum.	Anni Æræ vulgaris	Anni ab Urbe condita.	Anni Julianı.	Anni ætatis Christi.	Res Judæorum & Christi.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
						Anni Auguſti
200.1	21	774	66	25		8
2	22	775	67	26		9
3	23	776	68	27		10
4	24	777	69	28		11
						Anni Tiberii
201.1	25	778	70	29		12
2	26	779	71	30	Hoc, vel ſequenti anno incœpit gubernium Pilati.	13
3	27	780	72	31		14
4	28	781	73	32	Baptiſmus Chriſti.	15

Anni Olympiadum.	Anni Æræ vulgaris	Anni ab Urbe condita	Anni Juliani.	Anni ætatis Christi.	Res Judæorum & Christi.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos
						Anni Tiberii.
202.1	29	782	74	33		16
2	30	783	75	34	Mors	17
3	31	784	76		Christi.	18
4	32	785	77		Primus	19

annus ultimæ hebdomadæ Danielis juxta systema Petavii, & Usserii. Juxta auspicantes has hebdomadas ab anno septimo Longimani a morte Xerxis, ut statuitur communius, est annus quintus ultimæ hebdomadæ. Juxta auspicantes illas ab anno 20. Longimani a morte Xerxis, ut communius statuitur, & explicantes hebdomadas de annis solaribus est annus sextus hebdomadæ 68.: juxta vero explicantes illas de annis lunaribus est annus ultimus ultimæ hebdomadæ.

Anni Olympiadum.	Anni Æræ vulgaris	Anni ab Urbe condita.	Anni Juliani.	Res Judæorum & Christi.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos.
					Anni Tiberii
203.1	33	786	78		20
2	34	787	79		21
3	35	788	80		22
4	36	789	81		23
204.1	37	790	82	....	24
					Mors Tiberii mense Martii. Primus annus Caligulæ ejus successoris.
2	38	791	83		2
3	39	792	84		3
4	40	793	85		4

Anni Olympiadum.	Anni Æræ vulgaris.	Anni ab Urbe condita.	Anni Juliani	Res Judæorum & Christi.	Res Principum exterorum spectantes ad Judæos.
205.1	41	794	86	....	5 Mors Caligulæ menſe Januarii. Primus Annus Claudii ejus ſucceſſoris
2	42	795	87		2
3	43	796	88		3
4	44	797	89		4
206.1	45	798	90		5
2	46	799	91		6
3	47	800	92		7
4	48	801	93		8
207.1	49	802	94		9
2	50	803	95		10
3	51	804	96		11
4	52	805	97		12

Anni Olympiadum.	Anni Æræ vulgaris.	Anni ab Urbe condita.	Anni Juliani.	Res Judæorum & Chriſti.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos.
208. 1	53	806	98		13
2	54	807	99	....	14
					Mors Claudii Menſe Octobris. Primus Annus Neronis ejus ſucceſſoris.
3	55	808	100		2
4	56	809	101		3
209. 1	57	810	102		4
2	58	811	103		5
3	59	812	104		6
4	60	813	105		7
210. 1	61	814	106		8
2	62	815	107		9
3	63	816	108		10
4	64	817	109		11

Anni Olympiadum.	Anni Æræ vulgaris.	Anni ab Urbe condita.	Anni Juliani.	Res Judæorum & Christi.	Res Principum exterorum ſpectantes ad Judæos
					Anni Neronis.
211. 1	65	818	110		12
2	66	819	111	Martyrium SS. Petri, & Pauli.	13
3	67	820	112		14
4	68	821	113	....	15 Mors Neronis mẽse Junii, cui ſucceſſit Galba, poſtea Otto, deinde Vitellius, & tandem Veſpaſianus.
					Anni Veſpaſian.
212. 1	69	823	114	Excidiũ Hieroſolymitanum.	1
2	70	824	115		2

LAUS DEO.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE IN ROMA

MAG 200 F 891

Digitized by Google